


Elemosina Spiritualis

Dixit Dnus S. Gertrudi. Quando quidem incessanter sitiam et esuriam hominu salute, ille mihi dabit manducare qui conabit quotidie aliquem habere aedificationis sermone ad proximum ad eum instruendum et in via salutis dirigendu. Et Qui sacram scripturam aut quemlibet aliu spirituale librum legerit ob compunctione et devotionem, ille mihi propinabit poculu suavis haustus ad restringenda sitim meam. Et Rursu qui operam dabit quotidianae animi recollectioni, ut de me tota spiritus contentione saltim per horam cogitet, hic me grato admodu hospicio colliget. Et Qui singulis diebus conabitur aliquos virtutis actus exercere libenter in officiis acceptabo tanqua vesti qua operior.

~~Hic Liber oblatus est [illegible]~~
~~a [illegible] Dn. Patre Baptista~~ pro tunc
~~Magistro Novitiorum Montis Argentini~~
~~ad Crac[illegible] Aō D. 1763. [illegible] Aprilis.~~

5. Qui magno animo tentationẽ aliquam superaverit ille tantundẽ effecerit quasi me in infirmitate visitasset. 6. Deniq̃ eo loco habebo cum

Eremitar. Camaldulen. Insulae Vigrensis.

OPUSCULUM ALTERUM
Venerabilis Patris
LAURENTII SCUPULI,
Cler. Reg. Theatini;
Ex Italico Idiomate
à
CAROLO ANTONIO
MEAZZA
Latinè redditum;
In quo continentur quatuor sequentes Tractatus, cujusvis conditionis hominibus pernecessarii:

I. Addita Certamini Spirituali.
II. Via Paradisi, seu de pace Cordis.
III. De mentalibus JESU Christi doloribus.
IV. Modus juvandi, & consolandi cujuscunque generis infirmos.

Versio reliquarum omnium accuratissima, & cum ejusdem Auctoris Manuscriptis diligentissimè collata.

EDITIO SEPTIMA,
A plurimis typi mendis expurgata.
PARS SECUNDA.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
EX OFFICINA NOETHENIANA.
Superiorum Permissu, M. D. CCL.



Ad pium Lectorem Interpres.

Accipe alterum *Ven. P.* Laurentii Scupuli *Clerici Regularis, Opusculum, non minùs primo, seu* Spirituali Certamine, *pretiosum, mi pie Lector; Hoc me asserturum Latinitati, cùm typis primùm impressum edidi, promiseram: à promissionibus haud recedo: siquidem, etsi conditionata illa fuerint, citissimè adimpletas esse aquè admiror, ac gaudeo; quippe quod, vix primum Opusculum lucem aspexit, desideratum, & quidem instantissimè, Secundum intelligo; imò novam Primi impressionem moliri audio Bibliopolam, cujus rei causam ubi à multis, nec semel tantùm, expetii: mihi unà voce renunciatur:* Certamen Spirituale, *seu primum Opusculum summoperè placuisse, non solùm ob doctrinæ soliditatem, pretium, atque ordinem, omnia ad miram utilitatem composita; verùm etiam ob styli mei candorem, claritatem, exiguitatemque, quibus nihil ultra spirituale animarum bonum, me intendisse satis, superque penes omnes manifestum inclaruit. Tecum lætor, mihi gratulor, pie Lector, cùm ità res sit. Non enim optatam præfixamque metam tantùm tetigisse in primo Tomulo, abundè ex hisce mihi probari videtur; sed illam iterum in hoc secundo me feliciter assecuturum esse non reformido. Quin eò vel magis, quòd Materiarum in eo*

contentarum varietas, ex parte peregrina, ex toto utilissima, cuicunque statui mortalium pateat convenire; benè enim vivendi, & rectiùs moriendi regulæ, clarè, breviter, & methodo concinnâ admodùm, ac amœnâ, velut aureo in cratere, omnibus propinantur. In versione fidelitatem, mi Lector, tibi servatam fuisse, securus esto: quia potiùs alicubi in sermone barbarus apparere non curavi, quàm non perspicuus, quàm non ad captum, atque intelligentiam quorumlibet verè accommodatus: Quamobrem à prudentiæ tuæ censura benignam meæ mentis interpretationem magno cum animi solatio obtenturum me omninò spero. Non cuncta, quæ in Secundâ hac Parte perspicies, ad limam ità deducta comperies, ut aliquantisper inculta in ornamentis non agnoscantur; sed parce tum Auctori, qui morte præoccupatus ultimam admovere manum operi haud potuit, tum mihi pariter qui stanneam: vilemque meam compositionem in membris aureis uniendis adhibere indecorum putavi: illo vel maximè etiam lætus, quòd non ad rerum accidentia, sed ad substantiam puri virtute præfulgentium hominum oculi attendant. Impolitos non uno in loco transitus cernes; verùm credas, eorundem terminos ad magnam spiritualium divitiarum copiam iter securissimam aperire. Nonnulla, quæ in Certamine Spirituali leguntur repetita, imò nonnumquam ipsos Capitulorum titulos parum, vel nihilum immutatos invenies; sed scias, oportet, prædicta omnia

sem-

semper eo prorsus modo in variis anteactis impressionibus, ac præsertim in Panormitana, Neapolitana, Bononiensi, & Veronensi relicta, absque ullâ mutatione vel minima, fuisse à prudentissimis, atque sapientissimis Viris, ac postremò in Romana ubi P. D. Carolus Palma, Religiosus ex Cler Reg. à doctrinæ, & prudentiæ laudibus peregregius præfuit, cogitavitque, ad meliorem unionem inducendam, alterare non pauca; in eam tandem venit sententiam: satius fore, ut nihil affatim de hoc Libello novâ fronte terrarum Orbè exponeretur, ne alterius dein filius, quàm veri Auctoris, præclarissimi Asceta Ven. P Laurentii Scupuli videretur. Quod quidem benè, & consultissimè factum est: atqui idcircò eundem P. Palmam omnium plausus, & laudes sibi ipsi promeruisse, non mihi tantùm, sed plurimis notum est. Laudes meas addere primo Opusculo abstinui, ne, magis quàm virtutis, afficerer notà temeritatis Secundo forsan adjiciam? Minimè gentium. Per se satis ubique loquitur suis optimis documentis, & monitis Scupulus, ac solo suæ virtutis spiramine, absque aliorum aura, fortunatissimè ad Immortalitatis, dignumque laboribus suis portum, sine adverso malignantium Censorum flatu, aut retardatione enavigat. Quatuor hoc in Libello Tractatus Auctor proponit, quibus haud puto quid utilius, quid magis necessarium hominibus ad salutem æternam tendentibus. Postquàm enim Certamen Spirituali constanter suscipere, intrepidè regere, & cum triumpho conficere

erudiit: desiderandam omnibus cordis pacem edocet, obtinere, conservare, & stabilire. Dolores mentales Christi JESU, quos piè, & probabilissimè ab innumeris creditur, in se priùs altè, & ad vivum pertulisse, enarrat tertiò Scupulus, *nequibus ipse dives per gratiam esse meruit, pauperem aliis se faciat, avarumque cæteris se præbeat, qui suarum omnium rerum, in animarum auxilium, verè prodigus fuit Heros. Tandem quartò loco de cujusvis generis Infirmorum differit cura, per omnia nervoso, facilique simul suo excurrens stylo; quare an aliquid ab alio fructuosius, & ordinatius comparatum antehac fuerit, judicium tibi efformandum relinquitur Lector mi. In quo tamen supersedeo, rogans, ut immemor non vivas meî, qui in mercedem ob adhibitum Libello interpretando laborem, tuarum precum auxilium exposcere, quòd plùs quàm cæteri, illo indigeam, non erubesco.*

Vale.



Cen-

CEnsuram, quam pro jure suo optimam tulit à me revisum aureum illud, imò pretiosius auro, *Certamen spirituale* V. P. Laurentii Scupuli, Clerici Regularis, nuper Monachii typis impressum, recèns ex Italico originali in latinum sermonem translatum, atque hactenus in tanto pretio apud Germanos habitum, ut secundam ejusdem *Certaminis* editionem Bibliopola jam meditetur, omninò eandem meretur alter iste præfati V. P. Scupuli partus, nervosus, clarus, methodicus, plenus perfecto ascetico spiritu, atque prudentiâ planè singulari præditus; Divinum Umbraculum solidæ in DEUM fiduciæ contra multiplices pœnalitates hujus vitæ, Temperies in æstu adversus inquietos motus refractariæ inferioris voluntatis; Refrigerium sitientis animæ ad fontem sacrorum vulnerum, intrinsecus animam Christi perforantium; & Munimentum, animam Christianam pro DEO luctantem, contra quemvìs incursum dubiæ mortis sustinendum; saluberrimâ panopliâ spiritualium armorum ad novissimam victoriam dexterrimè disponens. Quod pro ratione commissi officii, publicè meâ manu, & sigillo attestor. Monachii, pridie Nonas Augusti, Anno M. DC. LXII.

Casparus Kairmair, S. T. & J. C.
D. Dec. S. Petri. Ser. Elect. Bav.
à consiliis Eccl. Libr. Censor.



ADDITA CERTAMINI SPIRITUALI.

CAPUT I.

Quid sit Christiana Perfectio?

DIlecte Fili, ne frustra in Exercitiis Spiritualibus labores, ut multis contigit: & ne pergas, quò nescis, priùs scire debes: Quid sit Christianæ vitæ perfectio.

Christianæ vitæ perfectio nihil aliud est, quàm observantia præceptorum DEI, & ejus Legis: ut soli DEO placeamus, absque eo, quòd ad dextram, vel sinistram declinemus, seu retrorsum nos convertamus. *Et in hoc consistit totus homo.* Igitur meta totius vitæ Christiani hominis, qui perfectus fieri cupit, debet esse perpetuum studium, quo talem in se efficiat habitum, ut quotidie obliviscatur propriæ voluntatis, ipsamque ità negligat, ut omnia operetur, tanquam à sola DEI voluntate motus, & propter hunc solum finem, ei placendi, honoremque ipsi impertiendi.

CAPUT II.

Quòd pugnare oporteat, ut Christianam perfectionem consequamur.

PAucis verbis illud multum, quod hîc intendimus, dictum est: verùm idipsum facere, ac exequi. *Hoc opus, hic labor est*: Quia cùm regnet in nobis propter primorum Parentum culpam, nec non ob nostros malos habitus lex quædam opposita Divinæ legi, opus est contra nos ipsos pugnare; quin etiam contra mundum, & dæmonem, qui bella nobis excitant, ac prosequuntur.

CAPUUT III.

De tribus rebus, quibus indiget novus Christi miles.

INsinuato jam Certamine, tria tibi, Christi miles, necessaria sunt: Animus ad pugnandum resolutus, & unà generosus: Arma: & Peritia in iisdem armis tractandis.

Resolutionem ad pugnandum acquires ex sequenti consideratione, quòd, *Militia est vita hominis super terram*, quòdque Certamen nostrum Spirituale pro lege habet, ut moriatur certissimè, qui in eo non pugnat.

Generositatem verò animi consequeris,

Primò per Diffidentiam tuî ipsius.

Secundò per Confidentiam in DEUM; adeo firmam, ut pro certo credas, ipsum DEUM intra te esse, ut à periculo te eripat.

Debes igitur pro indubitato habere, quòd quotiescunque tu diffisus de tuis viribus, atque sapientia, confidenter ad omnipotentiam, sapientiam, ac bonitatem Divinam confugeris, pugnando, victoriam reportabis.

Arma sunt, Resistentia, & Violentia, de quibus, sicut & de arte tractandi ipsa arma in sequenti Capitulo agemus.

CAPUT IV.

De Resistentia, & Violentia, nec non de arte adhibendi arma in Certamine Spirituali.

RESistentia, & Violentia, etsi arma sint, quæ nos affligunt, sunt nihilominus necessaria, nobisque victorias pariunt.

Tractantur autem hæc arma sequenti modo:

Cùm à corrupta, & malè propensa voluntate tua, aut à malis habitibus (ne ea velis, & facias, quæ DEUS vult) impugnaris, debes resistere, dicendo: *Verè, verè hoc volo facere.*

Cum eadem resistentia te oportet malo-

rum habituum stimulis, corruptæ voluntatis tuæ incitamentis ubi ab ipsis vocaris, & traheris, dicendo nimirum: Non non hoc faciam: semper obtemperare voluntati DEI cum ejus auxilio volo. Heu mi Deus citò mihi succurre, ne hæc voluntas quæ propter gratiam tuam reperitur in me ad voluntatem tuam faciendam, in occasionibus postea occurrentibus, à veteri, ac male disposita voluntate mea suffocetur.

Quòd si afflictionem interiùs senseris, atque voluntatis debilitatem: quodlibet violentiæ genus tibi inferre debes, in mente sua semper habens, quòd *Regnum Cœlorum vim patiatur, quòdque violenter agentes contra se, & suos animi motus rapiant illud.*

Si verò violentia tam gravis ad ferendum tibi foret, ut cor tuum affligeretur, perges cogitatione ad Christum in horto: associansque angustias tuas doloribus ejus, ipsum roga, ut virtute suorum dolorum victoriam tui ipsius tibi concedat, ut ex vero corde dicere possis cælesti Patri: *Non sicut ego volo, sed sicut Tu; fiat voluntas Tua.*

Hinc postmodùm inclinabis magis voluntatem tuam ad illam Dei, ita ut ea velis, quæ ipse Deus te velle cupiebat.

Omne studium tuum impendes ut quemlibet actum cum tanta voluntatis plenitudine, ac puritate efficias ac si in eo tantùm tota perfectio et Dei beneplacitum

tum ac honor consistet; atque hoc modo cæteras omnes actiones tuas efficies.

Insuper recordatus, te quandoque aliquod Dei præceptum transgressum esse, doleas de transgressione, majoremque vim resume, ad obediendum DEO in eo præcepto, quod eo tempore præ manibus tibi est, imò in quocunque alio, quod tibi imposterum proponetur.

Hìc verò advertas, ne ullam unquam prætermittas occasionem, licèt minimam, obediendi DEO; si enim obediens DEO fueris in minoribus, ipse etiam novam gratiam præstabit tibi, ut cum facilitate in majoribus ei valeas obedire.

Assuescas itidem, ubi in mentem tibi venerit aliquod ex Divinis præceptis, priùs DEUM adorare: dein ipsum exorare, ut tibi pro opportunitate succurrat, ad præstandam illi obedientiam.

CAPUT V.

Quod vigilare perpetuò debeamus supra voluntatem nostram, ut agnoscamus, cuinam ex passionibus eadem voluntas addicta sit.

Recollectus in te maneas fili, quò plus potes ut scias cuinam ex passionibus voluntas tua magis propensa sit; ab illa siquidem

quidem quàm à cæteris voluntas decipi solet, & mancipari.

Quare cùm, ut plurimum, non inveniatur hominis voluntas absque aliquarum nostrarum passionum societate: opus est, ut ipsa, aut amet, aut odio habeat; aut desideret, aut fugiat: aut lætetur, aut mœreat: aut speret, aut desperet: aut timida sit, aut audax: aut mansueta, aut iracunda.

Ubi verò eam inveneris inclinatam non ad voluntatem Divinam, sed ad proprium amorem; stude, ut ab illo in amorem DEI propendeat, necnon in observantiam præceptorum ejusdem DEI, atque Legis ipsius.

Quod quidem agendum tibi est, non solùm contra motus magni momenti, qui ad peccata mortalia instigant, verùm etiam contra illos, qui faciunt, ut in venialia prolabamur: hujusmodi enim motus, licèt leves, & exigui sint, ac paulatim operentur, infirmos nihilominùs nos detinent, & absque virtute, quando voluntarii sunt; quinimò magnum secum ferunt periculum, ut in peccata mortalia ruamus.

CAPUT VI.

Quòd, ubi sublatus est amor noster erga creaturas, & nos ipsos, ac DEO donatus, quidquid aliud benè se habeat.

DIlecte fili, ut breviter, ac ordinatè voluntatem tuam liberes ab inordinatis passionibus, necesse est, ut, quantus es, totum te tradas ad vincendum, & moderandum primam & principaliorem passionem tuam, quæ est amor tui ipsius: hac quippe moderatâ, cæteræ omnes eam sequentur iisdem passionibus, cùm ex illa oriantur, & suas in ea habeant radices, ac vitam: sicuti discurrenti clarè innotescet; illud enim solum concupiscitur, quod amatur, atque isto tantùm omnis homo delectatur. Tum illud etiam solùm odio habetur, aut cavetur, & nos contristat, quod impedit, offenditque rem à nobis dilectam. Neque aliud unquam speratur, quàm res amata.

Quare de re aliqua desperamus, ubi difficultates nobis insuperabiles, ac invincibiles videntur ad eam consequendam: neque quisquam timet, aut audet, aut indignatur, nisi cum eo, quod impedit, aut offensionem allaturum est rei dilectæ.

Modus vincendi, & moderandi supradictam

dictam primam passionem nostram, est, considerare rem, quam ipsa amat, & in quam ipsa inclinat: tum ejus qualitates: quidve in ea inclinatione, ac amore ab eadem passione intendatur.

Inveniens verò esse cupiditatem, exempli causa, pulchritudinis, bonitatis, delectationis, aut utilitatis, tibi ipsi dicere poteris: *Quænam major pulchritudo, & bonitas inveniri potest, quàm illa DEI, quæ est unicus fons totius boni, ac perfectionis?*

Quam cupiditatem utilitatis, ac delectationis imaginari nobis possumus majorem, quàm DEUM amare, si, ipsum amando, homo transformatur in illum, eoque toto delectatur, ac fruitur? Insuper, cor hominis ad DEUM spectat, quia DEUS illud creavit, redemit, & quotidie per nova beneficia ipsum poscit, dicens: *Fili, præbe mihi cor tuum.* Itaque, cùm totum cor humanum ad DEUM pertineat ob tot rationes, quæ inferiùs adducentur, cùmque valde exiguum, & impotens sit cor nostrum ad satisfaciendum obligationibus, quas DEO habemus, debet quilibet vigilantissimus, & diligens esse, ne aliud amet, quàm DEUM, & res illas, quæ ipsimet DEO placent, & quidem cum illo moderamine, & modo, quem Deus cupit.

Eadem diligentia etiam adhiberi debet cùm hæc duo sint fundamentum ædificii

per

perfectionis) contra passionem odii, ne à corde nostro aliud odio habeatur, quàm peccatum, & id, quod ad peccatum inducit.

CAPUT VII.

Quòd oporteat voluntati humanæ succurrere.

QUIA verò voluntas nostra, utpote passionibus subjecta, valde debilis est ad resistendum, atque ad superandum casdem passiones suas, ut illas subdat DEO, ejusque obedientiæ; (sicut benè ostendit experientia; nam licet voluntas nostra desideret, & proponat, se mortificare, nihilominus, in occasionibus occurrentibus, à propriis passionibus suffocata; quocunque bono desiderio, & proposito neglecto, iisdem se dedit) ideo opus est, nedum voluntati nostræ subvenire, atque auxiliari, cum occasio sese objicit; verùm etiam maturè hoc ipsum peragere, ut vires contra se ipsam assumens vincat, & liberet se à suarum passionum servitute, præstando se totam DEO, ejusdemque DEI beneplacito.

* *
*

CA-

CAPUT VIII.

Quòd per victoriam mundi voluntati hominis magnopere subveniatur.

QUandoquidem excitantur, vireſque ſuas accipiunt paſſiones noſtræ à mundo atque à rebus ejus, dum ipſe nobis oſtendit divitias, honores, atque voluptates ſuas, manifeſtè conſequitur, quòd, deſpecto mundo unà cum rebus ejus, hominum voluntas valeat reſpirare, & aliò ſe vertere; ipſa enim eſſe nequit abſque amore, & delectatione.

Modus deſpiciendi mundum, eſt, intimè conſiderare: quid verè ſint in ſe ejus res, & promiſſiones; in quo, ne erremus: obcœcati forſan ab aliqua paſſione noſtra, ſumemus, ob totius conſiderationem, atque concluſionem, id, quod refert ſapientiſſimus Salomon, qui rerum omnium experientiâ pollebat: *Vanitas*, ait ipſe, *vanitatum, & omnia vanitas, & afflictio ſpiritûs*. Veritatem hanc quoditie experimur, quoniam, cùm hominis cor ſaturari deſideret, quamvis aliquando habeat, quidquid ante à cupiebat, non modò non ſaturatur, ſed majori fame indies torquetur: hocque nulla alia de cauſa accidit, niſi, quia, cùm rebus terrenis paſcatur, umbris, ſomniis, vanitati-

nitatibus, atque mendaciis pascitur: quæ omnia nullum afferunt nutrimentum.

Mundi promissiones falsæ omnes, atque deceptionibus plenæ sunt. Unum pro ilio promittit; felicitatem enim promittit, datque inquietudines: sæpe promittit, & sæpissimè nihil dat. Dat, & citò aufert; ubi autem cito non aufert, magis affligit sibi addictos, qui cupiditates suas in luto repositas habent. Ad istos verò homines optimè dici potest: *Filii hominum, usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Sed concedamus etiam deceptis hujusmodi rerum terrenarum sectatoribus, quòd bona apparentia istius mundi sint vera bona: quid dicent de celeritate, quâ vita hominis præterit? Ubi sunt felicitates? Ubi honores? Ubi superbiæ Principum, Regum, atque Imperatorum? Nonne transierunt?

Modus ergo, quo vincas mundum usque adeo, ut ipse à te abhorreat, & tu ab ipso: seu ut ipse tibi crucifixus sit, tuque illi, hic est; ut antequam voluntas tua ei adhæreat, primò te ipsi opponas per profundam considerationem vanitatum, atque mendaciorum ejus; ac deinde per voluntatem. Ita enim, cùm neque voluptati, neque intellectui passiones dominarentur, facilè ipsum mundum contemnes. Tum cuicunque creaturæ, quæ tibi sese offerat, dicere

cere poteris: *Es ne tu creatura? Tolle, tolle inhærentiam tuam, nam ego in creaturis Creatorem, & spirituale, quod in iisdem est, non corporale requiro.*

Illud inquam inquiro, quod tibi donat operationem, & virtutem; non autem te volo, imò neque amare te cupio.

CAPUT IX.

De secunda voluntatis subventione.

SEcunda humanæ voluntatis subventio in eo consistit, ut principem tenebrarum diabolum ejiciamus foras, tanquam auctorem cujusvis inordinati irritamenti passionum nostrarum.

Ejicitur verò foràs hic hostis, ac vincitur, quotiescunque nos concupiscentias, atque inordinatas cupiditates nostras vincimus & triumphamus.

Itaque si cupis, quòd diabolus fugiat à te, resiste passionibus tuis; hæc enim est resistentia, quam Divus Jacobus innuit, ut diabolo faciamus.

Hìc autem advertendum est, quòd diabolus aliquoties ita nos aggreditur, carnis concupiscentiam, atque passiones excitando, & accendendo, ut miseri nos videamur ad cedendum compelli: sed hoc timendum non est. Resiste magnanimiter, & pro certo habeas, quòd Deus tecum est, ne tibi fiat

fiat injuria: resiste, inquam, perseveranter: quia per perseverantiam infallibiliter hostem vinces, & consternabis.

Dixi, perseveranter, quia non sufficit, ut semel, bis, vel ter ei resistas: sed quotiescunque ille tentaverit te; consuetudo enim dæmonis est, immittere die subsequenti tentationes illas, quæ effectum suum antecedenti die non habuerunt: imò hebdomade aliâ id procurare, quod in transacta non obtinuit. Atque ita magna cum patientia perseverat de tempore in tempus, & quidem modò per furorem, modò per dexteritatem aggrediens, donec victoriam consequatur.

Quapropter constantes nos esse, cum armis semper præ manibus necesse est: neque fidere unquam debemus, quòd multoties vicerimus, maximè quia hominis vita est continuum Certamen, cujus victoria non consistit in hac, vel illa die, sed in omnium nostrorum dierum fine.

Quòd si propter hoc affligeris, scito fili, quòd majorem, quàm tu, patitur afflictionem diabolus, cùm nos ei resistimus. Quare pro tua animi consolatione dici illi potest: *Perge dæmon ad pœnam: sed, quia tu illâ affligeris propter impietatem tuam, ego autem, ne Dominum Deum meum offendam, pœna tua erit æterna; mea verò propter DEI gratiam, in æternam pacem immutabitur.*

CA-

CAPUT X.

De tentationibus Superbiæ spiritualis.

IN præcedenti Capitulo locutus sum de tentationibus, quas diabolus solet nobis causare mundi honoribus, divitiis, atque delectationibus: sed modò tecum loquor de tentationibus superbiæ spiritualis: propriæ nostræ complacentiæ: atque inanis gloriæ: quæ eò periculosior est, quò minus agnoscitur, magísque DEO adversatur.

O quot generosi milites, magníque DEI servi post multorum añorum victorias decepit, atque servos Luciferi fecit Superbia! Effugium terribilis hujus ictûs, occultique laquei est, semper trepidare; atque operari bona opera cum timore, ac tremore, ne per occultum aliquem nostri amores, & superbiæ vermem corrodantur, atque odibilia DEO reddantur. Quamobrem debemus nos in iis semper humiliare, atque studere, ut magis, ac magis meliora ea faciamus, tanquam si nihil antea operati fuerimus. Quando autem nobis videretur (quod nunquam credendum est) nos benè omnia fecisse, oportet, ut toto ex corde intra cor ipsum dicamus: *Servi inutiles sumus.*

Super omnia verò recurremus sæpe ad Christum, ut, liberando nos à quacunque su-

superbia, doceat, juvetque nos, ut humiles ex corde esse possimus. Tum sæpè itidem recurremus ad humillimam DEI Matrem, ut veram nobis impetret humilitatem, quæ est fundamentum virtutum, istasque anteit, & concomitatur, efficitque, ne amittantur, sed augmententur magis, magisque obfirmentur in nobis.

De hac materia, cùm multum in Spirituali Certamine locutùs fuerim, nihil aliud subdo.

CAPUT XI.

De tertia voluntatis humanæ subventione.

TErtia subventio, quâ sæpissimè humanæ voluntati succurrere oportet, est Oratio, per quam assuescere adeo debes in eo, in quo invaderis, ut statim ad DEUM confugias dicens: *DEUS in adjutorium meum intende. Domine ad adjuvandum me festina.* Certamen tuum igitur erit per orationem, ac resistentiam, ita tamen, ut semper in DEI præsentia consistas, nixus tuî ipsius diffidentiâ, nec non confidentiâ in ipsum DEUM. Si enim hoc modo pugnaveris, certam tibi victoriam promittas.

Quid namque non superat, ac vincit oratio! quid non repellitur à resistentia u-

nita

nita cum diffidentia tuî ipsius, & confidentia in DEUM?

A quonam enim subjugari potest, qui semper cum DEO incedit, animo ipsi soli placendi?

CAPUT XII.

Quid agere debeat homo, ut habeat, quoties vult, præsentem DEUM?

UT consuetudinem obtineas præsentiæ DEI, quotiescunque volueris, semper cogita, quòd ante te celatus adest DEUS, qui te aspiciat, & quamcunque cogitationem, atque opus tuum scrutetur.

Seu etiam puta, creaturas omnes, quas vides, esse velut cancellos, per quos absconditus Deus te intueatur, ac aliquando dicat: *Petite, & accipietis; omnis enim, qui petit, accipit: & pulsanti aperietur.* Poteris quoque præsentem tibi credere DEUM, cernendo creaturas, in quibus, quidquid corporale est, præteriens, perges cogitatione ad DEUM, qui eis esse, motum, atque virtutem omnem ad operandum concedit.

Cùm ergo orare volueris, pugnando, vel aliquid aliud agendo, te DEO præsenta, aliquo modo ex supradictis: Tum ipsum ora, atque auxilium & juvamen instanter ab eo flagita. Scito autem, devote fili, quòd,

quòd, si familiarem DEI præsentiam habueris, victorias, atque thesauros innumeros reportabis. Inter cætera verò omnia præcavebis motus, cogitationes, verba & opera, quæ in præsentia Dei fieri dedecet & vitæ Filii ejus conformia non sunt.

Tum ipsamet DEI præsentia virtutem tibi donabit, ut possis semper in ejusdem DEI præsentia incedere.

Quòd si à præsentia, atque vicinitate agentium naturalium, quæ sunt virtutis finitæ, ac limitatæ, ipsorum qualitas, atque virtus à nobis contrahitur; quid dicendum erit de infinita DEI præsentia, quæ est infinitæ virtutis, atque inenarrabiliter communicabilis?

Præter supradictum modum orandi, *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina*, quo uti possumus in quacunque nostra necessitate, orare etiam non abs re erit aliis peculiaribus modis: exempli gratiâ, si desideraveris cognoscere, & facere voluntatem Divinam, oratio tua erit una ex sequentibus: *Benedictus es Domine: doce me facere justificationes tuas. Deduc me Domine in semitam mandatorum tuorum. Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas! &c.*

Ut verò postules à DEO, quidquid ab eo postulari potest, eique placet, ut nos petamus, Oratione Dominicali ùtêris, quam

toto

toto cum cordis tui affectu, omnique cum animi tui attentione recitare opus est.

CAPUT XIII.

De aliquibus monitis circa orationem.

PRimò. Advertere debes, orationes (non loquor hîc de meditationibus, de quibus infra dicemus) breves esse debere; & quidem modo supradicto factas, verùm frequentes, ac plenas desiderio, atque fiducia actuali, quòd Deus tibi sit subventurus, nisi eâ, quâ cuperes, ac velles, meliori tamen subventione, nec non tempore opportuniori.

Secundò. Fac, ut semper actualiter, vel saltem virtualiter cum una ex sequentibus clausulis conjungantur: *Propter bonitatem tuam. Secundùm promissiones tuas. Ad honorem tuum. In nomine dilecti Filii tui. In virtute passionis ejus. In nomine Mariæ Virginis, Sponsæ, ac Matris tuæ.*

Tertiò. Quandoque addantur etiam orationes jaculatoriæ: exempli gratiâ: *Concede mihi Domine amorem tuum, in nomine dilecti Filii tui. Quando erit, Domine mi, tempus illud, quo prædictum amorem tuum obtinebo?*

Quod quidem fieri potest post quamcunque petitionem Orationis Dominicalis, vel etiam post omnes alias, utì, *Pater noster, qui es in Cœlis: sanctificetur nomen tuum:* sed

quando, cœlestis Pater, nomen tuum in omni terrarum Orbe agnoscetur, honorabitur, & glorificabitur? Atque ità post cæteras omnes.

Quartò. Fac ut flagitans virtutes, & gratias, consideres sæpe virtutum pretium, tuamque indigentiam: magnitudinem DEI, ejusque bonitatem: ac tandem merita illius, qui poscit; hoc enim modo, majori cum affectu, ac desiderio petes; quin etiam cum reverentia, confidentia, atque humilitate meliori. Denique considerandus est finis petitionis nostræ, ut DEO placere possimus, & honori ejus famulari.

CAPUT XIV.

De alio modo orandi.

POtes perfectissimè quoque orare in DEI præsentia cum sola cogitatione, absque eo, quòd aliud dicas, nempè ejaculando in DEUM, præsignatis temporibus, suspiria: tum convertendo in ipsum oculos tuos, atque cor cupidum ei placendi, nec non breve, ac ardentissimum desiderium, ut tibi succurrat: & hoc totum semper operans, ut ipsum DEUM purè ames, & honores, atque ut illi soli inservias.

Vel etiam cum hoc alio desiderio, ut scilicet gratiam à te in præcedentibus orationibus postulatam concedat tibi.

CA-

CAPUT XV.

De quarta voluntatis humanæ subventione.

QUarta voluntatis nostræ subventio est, amor divinus, qui succurrit, ac fortem, & constantem adeò reddit voluntatem nostram, ut nihil inveniatur, quod ipsa per illum non possit: nullaque passio, aut cogitatio assignari queat, quam eadem non vincat.

Modus consequendi amorem istum, est, oratio, per quam illum sæpè à Domino postulabimus; tum etiam meditatio; meditando scilicet puncta illa, quæ apta sunt, unà cum DEI gratia, ad eundem succendendum in cordibus humanis, licèt valde terrenis. Talia sunt, si mediteris:

Quis sit DEUS Quæ, & qualis est potentia, sapientia, bonitas, & pulchritudo ipsius. Quid fecit pro homine DEUS: & quid pro eodem faceret, si opus est. Quo animo fecit, quidquid fecit. Quid quotidie pro ipsomet homine DEUS faciat. Dein quid facturus est DEUS pro eo in vita æterna, si vivens in terris obediat præceptis ipsius DEI, tum ut ipsi placeat, tum cum omni mentis puritate.

CAPUT XVI.

De meditatione Essentiæ divinæ.

QUid sit DEUS, ipse idem, qui perfectè se agnoscit, dixit, cùm respondit: *Ego sum, qui sum.*

Tale, ac tantum est hoc DEI predicatum, ut nulli creaturæ applicari possit: non Principibus, non Regibus, non Imperatoribus, non Angelis, non toti universo; quodcunque enim creatum debet à DEO dependere, cùm ex se sit merum Nihil.

Ex hoc autem patet, quàm inanis sit homo ille, qui amat creaturas, eisque adhæret, Creatorem in ipsis non diligendo, vel ipsas creaturas non amando, eo modo, quo vult DEUS.

Vanus inquam est talis homo, quia amat vanitatem: vanus est, quia putat, se posse satiari rebus illis, quæ ex se Nihil sunt: demum vanus est, quia laborat, ut ea habeat, quæ, cùm dant, accipiunt, atque occidunt.

Si ergo vis amare, ut amare oportet, ametur DEUS, qui implet, & omninò saturat corda nostra.

CAPUT XVII.

De meditatione Potentiæ DEI.

JAM scimus, quòd non solùm hæc, vel illa mundi potentia, sed omnes etiam potentiæ

tentiæ unitæ ſimul (ubi voluerint ædificare, non Regna, aut Civitates, ſed palatium unicum) variis indigent materiis, atque inſtrumentis, nec non multo temporis ſpatio: quæ omnia licèt habeat, nullum adhuc ædificium conficiunt juxta voluntatem, atque beneplacitum ſuum.

Verùm DEUS per ſuam potentiam illicò ex nihilo totum Univerſum creavit, & eadem cum facilitate alia infinita creare poterat; tum ea rurſus deſtruere, & ad nihilum pro voluntate ſua redigere.

Hoc punctum, quanto profundiùs meditabimur, tantò magis ex eo novas admirationes, atque ſtimulos eruemus, ut diligamus noſtrum DEUM, ac Dominum tam potentem.

CAPUT XVIII.

De meditatione Sapientiæ DEI.

QUàm alta, atque impenetrabilis ſit ſapientia DEI, non datur qui comprehendere poſſit.

Ut nihilominùs aliquam de hac habeas cognitionem, converte mentis oculos unà cum illis corporis ad Cœlorum ornamentum, vel ad terræ pulchritudinem, totiuſque Univerſi; & nihil aliud reperies, quàm incomprehenſibilem divini Architecti ſapientiam.

Verte mentem ad vitam hominum, atque ad varios eventus, qui contingunt; & invenies, quòd nihil adeò inordinatum est, ut in conspectu DEI non sit imperscrutabilis sapientia.

Meditare mysteria Redemptionis: atque ea esse altissima plena sapientia comperiens, dicas: *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ DEI, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!*

CAPUT XIX.

De meditatione bonitatis DEI.

DEI bonitas est (sicut & cæteræ omnes infinitæ ejus perfectiones) incomprehensibilis in se ipsa; verùm, si respicimus id, ad quod se perfundit, est talis, ac tanta, ut nulla res sit in mundo, in qua non eluceat.

Creatio est à bonitate divina: Conservatio, & gubernatio est ab ipsa una, eademque bonitate divina.

Redemptio tandem ostendit nobis, quòd ineffabilis, atque infinita sit bonitas DEI, cùm in ea donetur nobis à Deo Filius ejus, in salutem, nec non in cibum nostrum quotidianum intra Sacramentum Altaris.

CA-

CAPUT XX.

De meditatione pulchritudinis DEI.

DE divina pulchritudine hoc scire omnibus satis est, quòd ipsa talis, ac tanta est, ut in ipsa se Deus ab æterno contemplans (absque eo quòd aliò se vertat) in capacitate sua infinita incomprehensibiliter satiatus, atque beatus sit.

O miser homo, agnosce jam dignitatem, ad quam vocaris à bonitate divina: neque amplius duri adeò sis cordis, ut (hac contempta) amorem tuum vanitati, mendaciis, atque inanibus umbris dones.

Te vocat Deus ad amorem potentiæ, sapientiæ, & bonitatis suæ: ad delectationem pulchritudinis suæ, nec non ad ingressum gaudii sui: & ad hæc surdum te fingis? Cogita, cogita, quæso, res tuas, Fili mi, ne superveniat tibi postea tempus, in quo tibi pœnitentia tua nihil prosit.

CAPUT XXI.

Quid fecit Deus pro homine, & quo animo, ac quid insuper faceret, si opus esset.

QUid fecit Deus homini, & propter hominem, per meditationem Creationis, & Redemptionis agnosci potest. Animus deinde, quo illud fecit, & quo salutem ejusdem hominis operatus est, infinitum exuperavit,

Infinitum (verum est) fuit pretium Redemptionis: sed major adhuc animus fuit, quia magis, magisque pati voluisset, nec non sæpiùs mori, si oportuisset.

Si igitur, Fili mi, pro Redemptione totum teipsum debes DEO vicibus infinitis, & quid debes eidem DEO propter addictissimum erga te animum, qui longè excedit, & superat Redemptionem ipsam?

CAPUT XXII.

Quid facit DEUS quotidie propter hominem.

NUlla dies, imò nullum momentum datur, in quo nova beneficia non recipiat homo à DEO.

Quotidie enim, & in quocunque momento DEUS hominem creat, cùm ipsum in suo esse conservat.

Omni momento DEUS homini deservit per creaturas suas, nempè per Cœlum, aërem, terram, mare, & per quamcunque aliam rem, quæ in iisdem est.

Quotidie DEUS donat homini gratiam suam, eum vocans à malo ad bonum per internas inspirationes: ipsumque custodiens, ne peccet; peccantem verò adjuvans, ne peccata rursus committat, tum illum exspectat, & ad pœnitentiam allicit: venienti autem citiùs ignoscit, quàm ipse-

met

met homo velox sit ad inquirendam veniam.

Denique quotidie ei mittit Filium suum, unà cum divitiis omnibus mysteriorum Crucis; quinimò eundem Filium semper in Sacramento Altaris pro illo paratum habet.

CAPUT XXIII.

Quàm magnam bonitatem ostendat DEUS, expectando, & tolerando peccatorem.

UT agnoscas, Fili, quantum bonitatis ostendat Deus, sufferendo peccatorem; considera, quòd, sicuti DEUS indicibili modo virtutem amat, ita è contrario infinitè vitium odit.

Quænam igitur bonitas à Deo non ostenditur, cùm sustinet peccatorem, qui ante oculos puritatis, & divinæ majestatis suæ multa perpetrat scelera, non semel, bis, aut ter, sed centies, & millies?

Hinc: *Ah quàm benè percipio* (dicere potest peccator) *Domine mi, quòd, quando peccabam, mihi dicebas ad cor: Videbimus, quis vincet ex nobis, vel tu in offendendo me, vel ego in parcendo tibi!*

Hoc, si bene consideratum fuerit, credo, quòd (gratia DEI auxiliante) cor peccatoris, accendet, ut citò ad DEUM con-

vertatur. Quòd si per istud non convertitur, paveat valde peccator imperscrutabilia judicia Dei, à quibus proveniri solent ictus vindictæ citissimi, terribiles; & sine ullo remedio.

CAPUT XXIV.

Quid facturus sit in vita æterna DEUS, non solùm illi, qui semper divinæ Majestati suæ est famulatus, verum etiam peccatori converso.

SUnt tot, & tales favores, atque felicitates, quæ in cœlesti Patria à DEO nobis donantur, ut hîc in terris eas excogitare nequeamus: Imò neque clare, & perfectè concupiscere valeamus. Quis forsan percipere bene poterit, quid sit, sedere hominem ad mensam DEI, sibique à DEO ministrari, ac cibum divinæ beatitudinis participari? Quis sibi unquam imaginabatur, quid sit, beatas animas in gaudium ingredi Domini sui? Quis amorem comprehendet, atque æstimationem, quam DEUS civibus suis ostendet? De qua divus Thomas loquens ait in Opusc. 63.

DEUS omnipotens singulis Angelis sanctisque animabus in tantum se subjicit, quasi sit servus emptitius singulorum, quilibet verò ipsorum sit DEUS suus.

O Domine! ô Domine! qui sæpè profundò meditatur

ditatur opera tua erga creaturas; verè adeo inebriatum ab amore te reperit, ut tota beatitudo tua videatur consistere in amando, juvando, cibandoque illas te ipso.

O Domine, da, quæso, nobis considerationem prædictam adeò familiarem, ut dein amemus Te, & amando, idem fiamus, ac Tu, per unionem amoris tui.

Eja humanum cor, quò volas? ad umbram? ad ventum? ad nihilum? DEUM relinquens, qui est omnia? an non DEUS Omnipotentia? an non DEUS Sapientia? an non Bonitas ineffabilis? an non pulchritudo increata? An non summum bonum? an non Pelagus infinitum uniuscujusque perfectionis? DEUS erga te insequitur, & altissimè clamans vocat te non solùm communibus, & antiquis beneficiis, sed etiam peculiaribus semper, & novis.

Scisne unde nascatur tantum tuum malum? Quia non oras: quia non meditaris: Cùm enim absque luce, & calore permaneas, mirum non est, quòd te à tenebrarum operibus non removeas.

Ingredere, ingredere jam, ô Fili, ô tepide religiose in palestram prædictæ meditationis, & orationis, & in ipsa exercitatus redditus, disces, quòd verum Christiani, & religiosi hominis studium, sit, negare voluntatem propriam, ut faciat illam DEI: odisse se ipsum, ut DEUM diligat; quòd-

que cætera omnia studia absque hoc (etiamsi forent studia omnium scientiarum) nihil aliud sint, quàm spiritus præsumptio, atque superbia; quantò enim magis intellectum illuminant, tantò ampliùs voluntatem obcæcant: in ruinam illarum animarum, quæ refulgent ab illis.

CAPUT XXV.

De quinta humanæ voluntatis subventione.

ODium nostrî ipsorum est necessaria subventio voluntatis nostræ; absque isto enim nunquam nobis ministrabitur subventio divini amoris, qui auctor est totius boni.

Modus obtinendi hoc odium, est: Postulare ipsum priùs à DEO; tum considerare damna, quæ intulit, semperque infert homini amor proprius.

Nullum siquidem fuit unquam damnum, neque in cœlo, neque in terra, quod ab amore proprio ortum non fuerit.

Hic proprius, & nostri ipsorum amor tantæ est malignitatis, ut, si ei possibilis foret ingressus ad cœlum, illico cœlestis Jerusalem avernalis Babylon efficeretur. Consideremus ex hoc ergo, quid hæc infernalis pestis intra pectus humanum faciat in præsenti vita.

Tolla-

Tollatur namque proprius amor à mundo, & protinus inferorum januæ obserantur. Quis igitur invenietur ità impius contra seipsum, ut meditans essentiam, qualitates, atque effectus amoris proprii, adversus hunc indignatione, & odio non excitetur?

CAPUT XXVI.

Quomodo agnosci potest amor proprius.

Dilecte Fili, ut cognoscas, quàm magnum sit, & quàm latè se extendat Regnum amoris proprii, inquire sæpe, ac investiga, cum qua ex passionibus animæ, magis, & frequentius occupetur voluntas tua; ipsam enim nunquam solam reperies.

Ubi verò inveneris, quod amet, vel cupiat: sit læta vel mœsta: meditare tunc benè, utrùm res dilecta, vel desiderata sit una ex virtutibus, aut saltem secundùm præcepta DEI. Quod itidem facies de lætitia, & tristitia, quærens scilicet, an sit ex rebus illis, de quibus DEUS vult, ut nos lætemur, aut tristemur: an verò totum à mundo proveniat, atque ab affectu, quem habet voluntas nostra erga creaturas, eò quòd cum illis versatur, non necessitatis ergo, vel quia itidem indigeat aut sic DEUS velit. Quòd si ita est, manifestè quoque apparet, quòd amor proprius regnet in voluntate tua; totum-

tumque regat, & modoretur. Si verò negotia, atque occupationes voluntatis sunt circa virtutes, & de rebus, quas DEUS vult, considerandum insuper est, utrùm ad peragenda illa negotia voluntas tua à DEI voluntate moveatur, vel ab aliqua complacentia, & desiderio tuo: sæpe enim accidit, ut aliquis à quodam desiderio, & complacentia motus diversis operibus bonis vacet: qualia sunt, orationes, jejunia, Communiones, & sanctæ aliæ operationes.

Experimentum istius rei fit duobus modis: Primò, sit voluntas tua in occasionibus, quæ contingunt, indifferentèr quæcunque opera non præstat, quæ bona sunt. Secundò, si, impedimentis supervenientibus, lamentatur, inquietatur, atque turbatur, vel, rebus juxta voluntatem suam succedentibus, sibi complacet, & delectatur. Quòd si à DEO mota invenitur, considerandum quoque est, quò, & ad quem scopum magis dirigat operationes suas.

Si enim ipsius scopus est purum beneplacitum DEI, res benè se habent, licèt non adeo benè, ut homo securus vivere possit; nimis siquidem subtilis, atque absconditus residet in operibus bonis, nec non in virtutum actibus nostri ipsorum amor.

Cùm manifestè apparet crudelissima hæc bestia amoris proprii, persequi eam debemus usque ad mortem quovis majori possi-

passibili odio: neque tantum in rebus magnis, sed & in parvis.

De occultis semper suspectus esse debes; quare humilia te, atque semper te recollige intra te ipsum post quamcunque operationem bonam, orans DEUM, ut tibi ignoscat, teque à tui ipsius amore custodiat.

Bonum igitur erit, ut maturo mane te convertas ad Dominum, atque confitearis coram ipso, quòd mens tua est, non solùm nunquam offendendi ipsum, & præcipuè illa die; verùm etiam faciendi in rebus omnibus voluntatem ejus: Hocque, ut illi soli placeas; de qua re sæpe DEUM rogabis, ut tibi semper subveniat, semperque te protegat, ad hoc, ut agnoscas, & exequaris, quidquid ei placet, & eo modo, quo illi placet.

CAPUT XXVII.

De sexta subventione.

AUdire Missam est sexta subventio voluntatis humanæ; item communio & Confessio.

Et ratio est, quia, cùm gratia DEI sit subventio necessaria, imò principalior voluntatis nostræ, ut caveat à malo, bonumque operetur, consequitur, quòd omne id, in quo acquiritur augmentum gratiæ, sit voluntatis subventio. In

In prima Missæ parte (in duas namque partes Missa dividitur) quæ incipit ab introitu usque ad offertorium, studebis magnum desiderium in te excitare: ut, sicuti DEI Filius venit è Cœlo, atque in mundo ortus est, eò, quòd cupiebat in illo ignem sui amoris accendere, ita dignetur venire, & nasci per virtutem suam in intimo cordis tui: ut istud semper ardeat, quousque nihil aliud cogites, quàm placere DEO in quacunque occasione, non solùm dum vivis, sed & in sempiternum.

Cùm deinde orationes à Sacerdote dicuntur, accenso cum desiderio postula tu quoque, ô Fili, easdem gratias.

Ubi legi incipitur Epistola, & Evangelium, pete, mente ad DEUM conversa, intellectum, virtutémque, ut ipsorum sensus intelligas, & omnia observare valeas, quæ in eis sunt.

In secunda parte, quæ est ab offertorio usque ad Communionem, ab omni creaturarum, imò & tui ipsius cogitatione ereptum te totum offeras DEO, & cuilibet ejus beneplacito.

Cùm vero elevatur Hostia, vel Calix consecratus, verum Corpus, & Sanguinem Christi Domini, unà cum tota divinitate in iisdem, humiliatus usquequaque interiùs, adora.

Contemplans autem ipsum DEUM, sub

ſub illis panis, & vini accidentibus abſconditum, gratias ei amantiſſimas redde, quòd ſcilicet dignetur quotidie venire ad nos ſimul cum pretioſiſſimis fructibus arboris Crucis ſuæ. Cum ipſa verò oblatione propter eoſdem fines, propter quos ipſe transfixus manens in Cruce ſe cœleſti obtulit Patri, offeras Chriſtum ipſum tu quoque eidem Patri.

Deinde, cùm Sacerdos Sacramentaliter communicatur, ſpiritualiter quoque te communica, aperiens Domino, claudenſque creaturis omnibus cor tuum, ut ipſe DEUS in eo accendat ignem amoris ſui.

In tertia, ac poſtrema parte, unà cum Sacerdote, ipſe lingua, & tu mente expoſces à DEO id, quod in orationibus poſt Communionem poſtulatur ab illo.

CAPUT XXVIII.

De Communione Sacramentali.

DIlecte Fili, ut per ſacram Communionem augmentum gratiæ recipias, neceſſariæ tibi ſunt optimæ diſpoſitiones, quæ, cùm haberi à nobis non poſſint, quales eſſe deberent, maximo cum animi affectu ſubſequentem Orationem dicemus:

Conſcientias noſtras, quæſumus Domine, viſitando purifica, ut veniens JESUS Chriſtus Filius tuus Dominus noſter cum omnibus Sanctis ſuis para-

paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Verùm, ne prætermittamus facere id, quod ex parte nostra, auxiliante divinâ gratiâ, possumus; præparatio tua erit, considerare.

Primò, ad quem finem Christus Dominus instituit sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum. Ubi verò agnoveris, quod fuit, ut recordemur amoris, quem nobis in Crucis Mysteriis ostendit: considera insuper, qua de causa voluit, ut memoria hæc in nobis perseveraret.

Ubi autem repereris, quod fuit, ut ipsum diligeremus, eique obediremus, optima erit nobis præparatio, desiderium, atque accensa voluntas eundem amandi, eidemque obediendi, cum dolore, quòd præterito tempore illum nedum non amaverimus: sed offenderimus.

Per hoc verò desiderium, atque accensam voluntatem, scilicet ipsum amandi, præparabimus nos usque ad tempus Communionis.

Cùm deinde communicaturus es, excitans in te fidem, quòd nempe sub illis speciebus panis consecrati adsit verus Agnus DEI, qui tollit peccata, ipsumque profundissimè adorans, atque exorans, ut à corde tuo omne peccatum occultum unà cum reliquis auferat, illum suscipe cum spe fir-

ma, quòd amorem tibi ſuum daturus ſit.

Poſtquam illum accepiſti, atque in cor tuum introduxiſti, ſæpe ab eo poſtula amorem ejus, & quidquid aliud tibi opus eſt, ad placendum illi.

Deinde eundem offeres cœleſti Patri in Sacrificium laudis, tum propter immenſam ejus charitatem, quam nobis oſtendit in hoc beneficio, & in reliquis omnibus Redemptionis: tum etiam, ut amorem ſuum donet, ac tandem propter vivorum, & defunctorum in Purgatorio exiſtentium egeſtatem.

CAPUT XXIX.

De Confeſſione Sacramentali.

CONfeſſio, ut fiat ſicut oportet, plura requirit.

Primò, bonum examen conſcientiæ circa DEI præcepta, tuumque ſtatum. Agnitis verò peccatis tuis, licet parvis, amarè ea fleas, conſiderans Majeſtatis DEI offenſionem, nec non ingratitudinem tuam contra ejuſdem DEI charitatem, & bonitatem.

Quare teipſum vituperans, dices contra te ea verba: *Haccine reddis Domino, ſtulte, & inſipiens? Nunquid non ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creavit te?*

Tum ſuſcitans in te ſæpiùs voluntatem, oſtende cupiditatem, quam habes, quòd DEUS

DEUS nunquam à te offensus esset, & dic

O utinam non offensus à me fuisset Creator meus! Pater meus cœlestis! atque meus Redemptor! sed potiùs ego quodcunque malum perpessus essem!

Dein ad DEUM conversus cum erubescentia & fiducia, quòd tibi ignoverit, illum ex toto corde alloquere, tali modo:

Pater peccavi in Cœlum, & coram Te: jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum ex mercenariis tuis.

Tum resumens denuò in te dolorem de offensione divina, cum proposito sufferendi potius imposterum quamcunque pœnam, quàm voluntariè DEUM offendere, confitere peccata tua Confessario tuo cum erubescentia, & dolore, purè, & candidè, sicut patrata sunt; non solùm absque ulla excusatione tui ipsius: sed etiam sine aliorum accusatione.

Post Confessionem gratias DEO reddes, eò quòd, licèt toties à te offensus fuerit, nihilominus semper promptus ille magis sit ad veniam tibi donandam, quàm tu peccator ad eandem petendam, vel ad ipsam suscipiendam.

Ex quo sumens tu occasionem majoris doloris, quòd tam benignum Patrem offenderis, pleniori cum voluntate propone, auxilio ejusdem DEI, Mariæ Virginis, Angeli tui Custodis, nec non alterius Sancti pe-

peculiaris tui protectoris, te non ampliùs peccaturum contra illum.

CAPUT XXX.

Quomodo vinci debeant inhoneſti motus.

QUoſcunque alios motus vincimus, vel ipſos aggrediendo, vel cum ipſis pugnando (quamvis vulnera pati nobis quandoque opus ſit) vel eoſdem ad Certamen vocando, quouſque eos omninò ſuperemus. Verùm inhoneſti motus nedum à nobis excitandi ſunt: ſed ab omnibus rebus non abeſſe oportet, quæ illos ſuſcitare in nobis poſſunt Vincitur ſiquidem, atque mortificatur inhoneſtus motus per fugam à quacunque pugna: ſed præcipuè ab illa, in qua prope cum ipſo motu decertandum eſt.

Quare qui citiùs fugit, ac diſtantiùs, ſecuriorem habet triumphum. Habitus boni: ſyncera voluntas: præterita experimenta: victoriæ obtentæ: conſanguinitates: objecta, vel exigui momenti, ſeu etiam ſolius turpis apparentiæ, quæ periculum non minantur: imò quodcunque aliud, quamvis firma tibi ſecuritatis promiſſio videatur, argumenta bona non ſunt, Fili mi, propter quæ fugere prætermittas.

Fuge ergo, dilecte Fili, niſi velis capi, & illaqueari.

Quòd ſi homines aliqui inveniantur, qui

in

in tota vita ſua cum periculoſiſſimis perſonis (abſque eo, quòd lapſi fuerint) converſari ſint, non ſpectat ad te hoc judicare, vel inquirere: ſed ad ſecreta DEI judicia. Præterquam quòd, ubi multoties non apparent lapſus, ibi magis inveniuntur. Fuge fili, & obedias monitis, ac exemplis, quæ DEUS tibi proponit in Sacra Scriptura, necnon in vita tot Sanctorum; imò quotidie in hoc, & illo homine. Fuge inquam, neque retrorſum te convertas, ut videas, à quonam objecto fugeris; in hoc enim etiam periculum adeſt, ſcilicet retrogrediendi ad objecta illa, quæ reliquiſti.

Quòd ſi neceſſe fuerit cum aliquibus converſari; ſit brevis, & velox converſatio tua, ita ut magis ruſticitatem oſtendat, quàm urbanitatem; In hoc namque viſcus, flamma, & ignis impurus reperiri, ut plurimum, ſolet. Quapropter.

Hîc optimè recenſetur dictum illud: *Ante languorem adhibe medicinam:* ne expectes infirmitatem: ſed maturè fugias ab ea; nam hæc eſt vera noſtræ ſalutis medicina.

Si verò propter aliquod infortunium, vel fragilitatem in talem infirmitatem incideris, tota ſalus tua in hoc ſita eſt, ut in eo momento in quo hujuſmodi in te ſentis infirmitatem, *Tu teneas, & allidas parvulos tuos ad petram:* ſtatim accurrendo ad Confeſſarium, cui, neque minimum crimen veniale

niále zelabis circa iſtud inhoneſtum animi vitium; quia quodlibet vel minimum ex illis, quò magis tegitur, eò magis germinat, & excreſcit.

CAPUT XXXI.

A quot rebus fugiendum eſt, ne in turpe carnis vitium prolabamur.

FUga (ne alæ noſtræ viſco motuum inhoneſti amoris implicentur) à multis rebus eſſe debet.

Primò & principaliùs fugere debemus à perſonis illis, quæ evidens nobis minantur periculum.

Secundò etiam ab aliis, quò meliùs poſſumus.

Tertiò, à viſitationibus, ſalutationibus, donis, atque amicitiis, licèt valde latis: res enim latæ faciliùs reſtringi poſſunt, quàm ſtrictè dilatari.

Quartò à ſermonibus hujus vitii inhoneſti, à muſica, cantilenis, & libris, qui vel de eo tractant, vel aliquid ſecum immixtum de ipſo habent.

Quintò (quòd à paucis agnoſcitur, & advertitur, atque ita minùs cavetur) ab univerſali delectatione creaturarum: utì ſunt veſtimenta, & alia varia, quæ tantùm ob delectationem habere domi ſolemus: tum à cibis, diverſiſque aliis rebus, quam-

vis

vis exiguis: hæ enim delectationes, licèt, ut plurimum, licitæ sint, nihilominus cor hominis ad majorem semper delectationem assuefaciunt, ipsumque avidum omni tempore conservant ejusdem delectationis. Ex quo dein provenit, ut sese illis offerente inhonesta delectatione (quæ ex natura sua citò ferit, & ossium medullas statim pervadit) difficulter postea cor viam inveniat, quæ ad mortificationem in iisdem delectationibus tendat: cùm per illam nunquam antea excurrerit.

Quapropter è contrario corda ad fugiendum à delectationibus etiam licitis assueta, ubi sese illis objectant res illicitæ, ac inhonestæ, statim à solo quoque ipsarum nomine fugiunt, & quidem cum magna facilitate.

CAPUT XXXII.

Quid fieri debeat, cùm in hoc inhonestum vitium incidimus.

DIlecte Fili, ubi contigit, vel ob infortunium, vel aliquando etiam ob malitiam, relapsum fuisse in carnis vitium, opportunum remedium est, (ne peccatum addás peccato) ut statim, & cum omni possibili velocitate curras, etiam non præmisso conscientiæ examine, ad Confessionem, in qua, relictis omnibus humanis

pru-

prudentiis, pleno ore fateberis, ac manifestabis totam infirmitatem tuam; acceptans quamcunque medicinam, vel consilium, quod tibi Confessarius dederit, etsi amarum foret, imò durissimum ad ferendum.

Neque moreris, etiamsi centum, vel mille rationes in contrarium starent, ac tibi moram suaderent; si enim moraris, iterum laberis; ex quo dein relapsu aliæ moræ oriuntur; quoniam ex moris relapsus, ex relapsibus novæ moræ procedentes, efficiunt, ut integri excurrant anni, antequam confitearis peccatum tuum, & libereris ab eo.

Ad conclusionem igitur totius, in materia istius inhonesti vitii, te rursus moneo, ut statim fugias, nisi labi velis.

Quod itidem observa in cogitationibus etiam minimis, quæ te aggrediuntur; illas enim magni semper facies; imò non minùs eas fugias, quàm magnas; & licèt tibi patenter constaret, (ubi ab iisdem fugisti) levia illas esse peccata, hæc nihilominus confitere, hostem tuum confessario manifestans.

Cùm verò lapsus es, curre protinus ad Confessionem, neque unquam permittas te vinci à pudore, vel erubescentia.

CAPUT XXXIII.

De aliquibus motivis, propter quæ peccator citò ad DEUM converti debet.

PRimum motivum, ratione cujus peccator debet ad DEUM se convertere, est, consideratio ipsius DEI, qui, cùm sit summum Bonum, summa potentia, sapientia, ac bonitas, ab homine offendendus non est: Tum ob prudentiam: cùm pessima sit electio, pugnare cum DEI omnipotentia, & cum supremo Judice, à quo homo ipse judicandus est:

Tum etiam ob convenientiam, ac ob justitiam: cùm non sit res tolerabilis, quòd nihil, lutum, & creatura vilissima Creatorem suum offendat, servus Dominum, beneficiatus factorem, filius Patrem.

Secundum motivum est, magna peccatoris obligatio cito redeundi ad domum Patris sui: cùm filii conversio, ejusque regressus ad patriam domum cedat in honorem patris, & pro hoc tota domus lætetur, nec non vicinia: imò Cœlorum Angeli & Beati.

Sicut enim, antea filius peccando ostendit patrem, ipsumque exacerbavit, ità rediens, amarisque lachrymis offensam deflens, cum plena voluntate obediendi eidem Patri in quibusvis præceptis ejus, & in omni alia re, honorem, lætitiamque ei de-

defert; imò illius cor ita ferit, & ad misericordiam excitat, ut non possit pater filium expectare: sed præ cupiditate currere ad ipsum excipiendum cogatur; quò ubi pervenit, super ejus collum decidens, ipsum debet, imò non potest non amplecti, osculari, & veste gratiæ suæ, aliorumque donorum ornamentis induere.

Tertium motivum est ipsius peccatoris bonum; considerare enim debet peccator, quòd, si in tempore non convertitur certissimè adveniente hyeme, vel sabbatho converti non poterit, sed ad inferni pœnas descendet: ubi, quamvis alia pœna non adesset, quàm augmentum infinitum illarum passionum, quæ ipsum in peccato illusum, ac deceptum detinebant, vel etiam sola certitudo nunquam fruendi (vel in minima quantitate) voluptatibus, quibus prius delectabatur, quasque ardentissimè antea cupiebat, maximopere nihilominùs à tali pœna deterreri deberet.

Neque putet peccator, bonum esse propositum illud, quod habet, scilicet se convertendi in extremo vitæ suæ, vel post aliquos annos, aut menses; hoc enim propositum nedum stultum apparet: sed impiissima malitia plenum est.

Imprudentis est mentis effectus, sibi proponere magnam aliquam superandam difficultatem eo tempore, quo homo debilior reperitur.

Peccator in peccato perſeverans fit quotidie magis debilis ad converſionem, non ſolùm propter malum habitum; qui multum excreſcens in naturam convertitur, verùm etiam ob indiſpoſitionem majorem ad gratiam converſionis in ſe recipiendam. Tum etiam quia, cùm dignatus nunquam fuerit Creatorem, ſed ab eo ſemper abhorruerit propter malitiam iniquiſſimam, ſemperque delectatus fuerit creaturis, quo plus potuit, nixus hac præſumptione ad DEUM impoſterum ſe convertendi, DEUS poſtea fit itidem renuens, nec converti ipſum permittit.

Eſt pariter ſtultiſſimum ſupradictum conſilium, & propoſitum, quia (etiamſi ei converſionis potentia, atque auxilium efficax concedatur) ſecuritatem, quòd interim inopinatè non moriatur, & abſque verbi unius prolatione (ſicuti tot aliis evenit, & quotidie evenire conſpicimus) quis ei præſtitit, vel præſtabit?

Clama, clama ergo peccator, qui hæc legis, ad Dominum DEUM tuum, ſic dicens: *Converte me, & convertar, quia tu Dominus DEUS meus*; neque ceſſas unquam, quouſque convertaris ad Dominum, ac Patrem tuum, illachrymans ſemper amariſſimè propter offenſam illi factam, cum reſignatione ad illud omne, quod ei placere, atque ſatisfacere poſſe cognoſces.

CA-

CAPUT XXXIV.

De modo procurandi lacrymas de offensa Domini, nec non etiam conversionem.

DIlecte Fili, melior modus, quo lacrymas procuremus de offensa Dei, non invenitur, quàm meditatio maximæ bonitatis ipsiusmet DEI, ejusque summæ charitatis, quam erga hominem patefecit;

Et ratio est, nam qui considerat, quòd, peccando, supremum bonum offenderit, bonitatemque ineffabilem: quæ non nisi bona cælestia omnibus depluit, neque aliud unquam fecit, ac facit, quàm demittere tanquam pluviam, gratias suas: quamque lumen suum dispergere super amicos teque, atque inimicos suos; quòdque tantum bonum offenderit pro nihilo, & pro voluptate exigua, minimaque, imò falsa delectatione, non potest non amarissimè flere.

Te sistes ergo coram Domino Crucisuffixo, ac ante illum audire tibi videberis verba ista: *Aspice in me, atque singillatim plagas meas considera, à tuis enim peccatis vulneratus sum, & tam malè habitus, sicut me vides.*

Et tamen Dominus DEUS tuus ego sum, Creator tuus, benignus Redemptor tuus, atque piissimus Pater tuus!

Quare, *Revertere, revertere*, ad me cum

lacrymis puris, & cum voluntate accensa, per quam desideres, me offensum non fuisse, optesque tolerare quamcunque pœnam, potiùs quàm ampliùs me offendere: *Revertere ad me, quoniam ego redemi te.*

Postea, considerato Christo Domino cum corona spinea super caput, nec non cum arundine præ manibus, undequaque vulnerato, tibi imaginaberis, quòd ad te dicat: *Ecce Homo!* Ecce Homo, qui, te ineffabili amore diligens, te redemit his probris, his plagis, & hoc Sanguine! *Ecce Homo!* Ecce! iste homo ille est, qui offensus fuit à te post tantam amoris ostensionem, nec non post tot, & tam magna beneficia, sicut tu scis.

Ecce Homo! Ecce! hic homo est DEI misericordia, ejusque copiosa Redemptio, hic homo pro te unà cum omnibus suis meritis sese offert, omni hora, ac momento, æterno Patri. Hic homo ad dexteram Patris sedens pro te interpellat, & rogat peracriter. Quare igitur me offendis? quare non reverteris? *Revertere ad me; quia delevi ut nubem iniquitate, & quasi nebulam peccata tua.*



CA-

CAPUT XXXV.

De aliquibus rationibus, propter quas non flemus offensam DEI, & absque virtute, ac Christiana perfectione vivimus.

RAtiones, propter quas homo in tepiditate dormit, se non erigens à peccato, virtutique donans, sicut oportet, multæ sunt: sed inter cæteras adnumerantur sequentes:

Quia homo non habitat in se ipso, neque videt, quid fiat in domo sua, & quis eam possideat, sed vagus, atque curiosus ducit in voluptatibus, atque vanitatibus dies suos; quamvis enim in rebus licitis, & bonis in se ipsis occupetur, de illis nihilominus, quæ ad virtutem, & Christianam perfectionem pertinent, nihil curat.

Si verò aliquando curat de eis, suamque videt indigentiam, & à Deo vocatur, ac ad mutandam vitam extimulatur, respondet, *Cras, Cras: Postea, Postea*: nec unquam advenit, *Hodie, Hodie: Modo, Modo*: quia, cum regnet in eo vitium istius *Cras*, & hujus *Postea*, in quocunque *Hodie*, & in quolibet *Modo, & Nunc*, semper *Cras*, & *postea* invenitur.

Neque desunt alii, qui putantes veram vitæ mutationem, nec non virtutum exercitia in quibusdam suis devotionibus consistere, totam quasi diem insumunt in recitando,

tando, *Pater noster*, & *Ave*, absque eo quòd ad suorum inordinatorum motuum mortificationem incumbant: qui motus efficiunt, ut creaturis hujusmodi homines adhæreant.

Alii virtutum exercitiis se dedunt, se absque illarum fundamentis ædificant; habet enim quælibet ex virtutibus proprium suum fundamentum: Sic humilitas, exempli gratiâ, pro fundamento habet desiderium magnum contemptus; ita ut humilis ardenter cupiat vilipendi, pro nihilo haberi, confundi ab illis, atque vilescere in oculis suis: qui namque priùs fundat, atque ædificat hoc fundamentum, cum lætitia deinde lapides accipit ædificii humilitatis: qui lapides sunt viles æstimationes, in quibus nos apud cæteros sumus, nec non etiam occasiones omnes eliciendi actus humilitatis; quare excrescente in nobis desiderio, quo haberi pro nihilo optamus, ac sustinentes libenter exiguam æstimationem, in qua vivimus apud alios, humilitatem consequimur: sicut itidem si sæpè istam à DEO poscimus in virtute humilitati Filii sui.

Licèt autem totum hoc ab aliquibus fiat, non fit tamen propter virtutis amòrem, & ad placendum DEO; ex quo oritur, quòd virtutis actus nón correspondeant cum omnibus, atque in omni loco: cùm ille, qui

hæc

hæc agit, cum aliis humilis sit, cum aliis superbus: humilis in præsentia illorum, quibus eget, & superbus cum illis, quorum æstimationem nihil pendit; nam sibi eam prodesse non arbitratur.

Adsunt alii quoque, qui Christianam perfectionem desiderantes eam per proprias vires procurant, (quæ maximè debiles sunt) nec non à studiis, atque exercitiis suis, non autem à Deo, diffidendo omninò de se ipsis; quare potiùs retrogrediuntur, quàm antecedant; neque deest, qui, vix in virtutis viam ingressus, statim sibi suadeat ad perfectionem se pervenisse: atque ita inanis in se ipso, in virtutibus quoque inanis est. Ut virtutem ergo, atque Christianam perfectionem adipiscaris, Fili, priùs diffidas de te ipso, ac postea in DEO confisus, studeas accendere in te hujus rei desiderium, quò magis erit tibi possibile, quotidie illud augmentando. Adverte insuper, ne aliqua occasio virtutum à manibus tuis effugiat, sive magna, sive parva ei sit; quòd si effugerit, in re aliqua te mortifices, & punias; neque unquam mortificationem, ac punitionem istam omittas.

Quamvis autem multum in perfectione proficias, quotidie putes te incipere; atque ideo stude, ut quemcunque actum tanta efficias cum diligentia, ac si in eo solo tota perfectio consisteret; cum ea verò prorsus

sus solertia à minimis erroribus te custodias, qua diligentiores homines à culpis maximis se tuentur.

Amplectere virtutem propter virtutem istam, nec non, ut placeas Deo; hoc enim modo cum omnibus idem eris, sive solus fueris, sive cum aliis. Tum hoc modo scies deserere virtutem propter virtutem, & DEUM pro DEO. Ne declines, aut ad dexteram, aut ad sinistram, neque vertas te retrò. Sis discretus, solitudinis amans, ac orationis: sæpè DEUM orans, ut virtutem, & perfectionem (quam inquiris, & cupis) largiatur tibi: DEUS enim fons est omnis virtutis & perfectionis, ad quam, singulis horis, nos vocat.

CAPUT XXXVI.

De amore erga inimicos.

ETsi Christiana perfectio sit perfecta præceptorum DEI obedientia, nihilominùs à præcepto diligendi inimicos præcipuè procedit: adeò simile est DEI consuetudini præceptum istud:

Quapropter, si brevi tempore prædictam perfectionem cupis acquirere, cura, ut ea omnia ad amussim observes, quæ DEUS in hoc præcepto diligendi inimicos jubet: amando nimirum illos, eis benefaciendo, & pro iisdem orando, non, ut sic, & tepidè,

pidè, ſed cum tanto interno affectu, ut penè tui ipſius oblitus, ex toto corde tuo, ipſorum amori ſtudeas, oreſque pro illis.

Circa bonum, quod eis facere debes, hæc ſcito: Primò, quo ad animæ bonum, advertere oportet, ne à te, tuoque malo exemplo occaſionem habeant offendendi animam ſuam. Quare ſemper notum iiſdem facies corporis geſtibus, verbis, atque operibus, quòd eos ames, atque æſtimes: quòdque in te ſemper adſit promptitudo, & paratus animus deſerviendi ipſis.

Circa reliqua bona temporalia, quid ibi agendum ſit, prudentia, & maturum judicium tuum ex inimicorum qualitate, ex ipſorum ſtatu, nec non ex occaſionibus occurrentibus colligere optimè poterit. Si ad hoc incubueris, certò virtus, & vera pax in cor tuum ingreditur.

Neque hoc præceptum eam habet difficultatem, quam multi credunt. Præter dubium, hoc naturæ durum eſt: ſed volenti, & cupienti mortificare illico naturæ, atque odii motus, facilè ſuave fiet, cùm abſconditam in ſe dulciſſimam pacem, atque facilitatem deferre ſemper ſoleat. Ut tamen debilitati noſtræ ſuccurramus, quatuor potentiſſimis auxiliis in re iſta poteris uti.

Primum eſt, Oratio, qua à Chriſto Domino ſæpè petes amorem iſtum, in virtute illius amoris, quo in Cruce recordatus eſt

priùs inimicorum suorum, postea Matris, postremò sui ipsius.

Secundum auxilium est, si tecum dicas: Præceptum Domini est, *inimicos diligere*, ergo hoc exequi debeo.

Tertium est, vivam DEI imaginem in hostibus tuis respicere, quam iisdem in creatione indidit idem DEUS; atque ex hoc te excitare ad eam magni faciendam, & diligendam.

Quartum verò est, considerare insuper ineffabilem Redemptionem, per quam inimici tui à Christo redempti sunt: quæ non fuit per aurum, vel argentum: sed per pretiosissimum, & divinum ejus Sanguinem; tum ex hoc efficies, ut frustra idem Sanguis effusus non sit, & conculcatus.

CAPUT XXXVII.

De conscientiæ examine.

CONscientiæ examen ter in die à solertibus viris fieri solet.

Ante prandium,
Ante vesperas, &
Antequam cubitum eant.

Quòd si ita fieri ab aliquibus non potest, vespertinum nunquam omittendum est. Si enim bis opera DEUS inspexit, quæ fecit pro homine, quare homo semel saltem in die non respiciet ad illa, quæ facit pro DEO?

DEO? De quibus sæpiùs, quàm semel, strictissimam illi reddere rationem debet. Examen autem fiet hoc modo:

Primò, postulabis à DEO lumen, ut omnia, quæ interiùs latent, simul cum omnibus operibus tuis rectè agnoscas.

Secundò. Incipies cogitare, quomodo clausus fuisti, & recollectus intra cor tuum, nec non quomodo illud custodivisti?

Tertiò. Quomodo illa die DEO obtemperâsti in omnibus occasionibus, quas dedit tibi, ut inservires ipsi?

Hicque aliud non dico, nisi, quòd tertia ista consideratio statum, atque obligationem cujuscunque claudat in se. Ubi verò de correspondentia gratiæ DEI, nec non de bonis operibus tuis gratias egeris Majestati Divinæ, citò omnium obliviscaris, semper cupidus incipiendi denuò iter tuum, tanquam si omninò nihil adhuc fecisses. Ab erroribus autem, defectibus, ac peccatis conversus ad DEUM, doleas, quòd illum offenderis, & dicat ei:

Domine, operatus fui ex illo, qui sum. Neque hìc stetissem, nisi mihi dextera tua auxiliata fuisset; quare gratias permagnas pro ista tua gratia reddo tibi. Age modò, in nomine dilecti Filii tui, fac ex illo tu etiam, qui es, & parce mihi, mihique largire gratiam, qua auxiliante nunquam imposterum Te offendam.

Pro pœnitentia deinde errorum tuorum,

necnon ob emendationis stimulum, propone mortificare voluntatem tuam in re aliqua licita: istud quippe DEO valde placet. Idem dico de corpore, nunquam pro omnibus viribus tuis has, aut similes pœnitentias omittens, nisi velis, quòd conscientiæ tuæ examina propter consuetudinem aliquam tantùm fiant, & absque fructu.

CAPUT XXXVIII.

De duabus regulis, ut in pace vivamus.

QUamvis ille, qui vivit juxta ea, quæ hucusque diximus, semper in pace maneat, volo nihilominus in hoc ultimo Capitulo tradere tibi duas regulas (quas etiam in supradicto inclusimus) quibus solis à te observatis, certò quietus, & tranquillus in mundo hoc iniquissimo vives.

Prima est, ut studeas, cum omni diligentia, cor tuum claudere cupiditatibus: cùm cupiditas sit longum lignum Crucis, & inquietudinis omnis: quod quidem secundùm cupiditatis tuæ magnitudinem grave erit tibi. Unde si tua cupiditas circa plura erit: majora etiam, graviora, & majori in numero erunt ligna ad plures cruces parata, quare accedentibus dein difficultatibus, atque impedimentis, eò, quòd cupiditatem tuam non exequatis, aliud lignum est, nempe secundum crucis, supra quam homo cupidus crucifigitur.

Qui

Qui ergo cruces non amat, non cupiat; & si in cruce fuerit; ut crucem non habeat, cupiditatem relinquat; in eo namque momento, in quo cupiditatem abjiciet, è cruce quoque descendet; neque aliud, præter hoc, remedium invenitur.

Secunda regula est, ut, ubi offensus ab aliis fueris, eos non consideres, neque varia circa ipsos putes, exempli gratiâ, quò talia tecum agere non debeant: quinam sint: vel quosnam se credant, & similia; hæc enim omnia sunt ligna, quæ magis iræ, indignationis, atque odii ignem succendunt.

Sed recurre statim in talibus occasionibus ad virtutem, & DEI præcepta, ut scias, quid agendum sit, ne in pejores errores labaris, quàm illi fecerunt. Hoc autem modo virtutis, & pacis viam invenies.

Quòd si postea tecum non perages, quæ debes, quid mirum, quòd alii tecum idem non faciant?

Si verò placet tibi vindicta de iis, qui te offendunt, priùs debes vindictam dirigere in te ipsum, quo nullum majorem hostem, & offensorem certissimè habes.



VIA



VIA PARADISI,

Seu

DE PACE INTERIORI.

CAPUT I.

Quanam sit cordis nostri natura; & quomodo gubernanda.

COR tuum, dilecte Fili, ad hunc solum finem creatum est, ut ametur, & possideatur à DEO Creatore suo. Cum hoc autem amore agere poteris, quidquid volueris; & quæcunque res, licèt difficilis fuerit, valde facilis hoc modo tibi fiet. Quare inprimis fundare, atque stabilire tibi opus est intentionem cordis tui, ita, ut ab interiori exterior facies procedat. Et ratio est, quia, etsi corporales pœnitentiæ, & exercitia omnia, quibus caro castigatur, & affligitur, laudabilia sint, quotiescunque cum discretione habentur, & juxta id, quod convenit personæ illa facienti, nihilominus tu nunquam adipisceris per ipsa, vel unam solam virtutem: sed potiùs vanitatem, atque inanis gloriæ ventum, quo labores tuos amittes, nisi cum interiori homine exercitia exteriora nutrita, & conformata fuerint.

Vita hominis nihil aliud eſt, quàm perpetuum bellum, & continua tentatio; propter hoc verò bellum vigilare ſemper debes, & cuſtodire cor tuum, ut pacificum, & quietum ſemper conſervetur. Ubi verò aſſurrexerit in anima tua motus aliquis inquietudinis ſenſualis, (quæcunque iſta ſit) advertere debes diligentiſſimè, ut ſtatim illum ſupprimas, pacificum reddens cor tuum, non permittendo ullo modo, ut deflectat ad aliquam ex rebus, quæ ipſum cor inquietum efficiunt. Hoc autem toties perages, quoties inquietudo ſeſe objiciet, vel in oratione, vel quocunque alio tempore; & ſcito, quòd tunc orare optimè noveris, cùm ita operari non ignoraveris. Sed attende Fili in hoc, quoniam omne cum ſuavitate, & abſque vi ulla faciendum eſt. Igitur totum, principalius, & continuum exercitium vitæ tuæ in hoc ſitum ſit oportet, ſcilicet in pacificando cor tuum, ipſumque ita cuſtodiendo, ut nunquam ad inquietudinem inflectatur.

CAPUT II.

De cura, quam habere debet anima, ut ſe paci reſtituat.

DIlecte Fili, ante quamcunque aliam rem, prædictæ pacis vigiliam ſupra tuos ſenſus ut conſtituas, opus eſt: hocque

ad

ad magna te deducet abſque ulla animi perturbatione; imò potiùs tranquillè admodum, & ſecurè cum hac vigilia tibi à DEO immiſſa adeo ſupra te ipſum vigilabis, ut aſſueſcas orare, obedire, te humiliare, nec non injurias abſque inquietudine, vel exigua, tolerare.

Verum quidem eſt, quòd, antequam pacem iſtam acquiras, multam afflictionem animi patieris, eò, quòd non fueris ſolitus in hiſce rebus verſari: ſed conſolationem dein etiam anima tua non parvam acquiret, propter quamcunque contradictionem, quæ illi ſuccedat; præterquam quòd de die in diem meliùs ſemper addiſces hoc exercitium, pacificandi ſcilicet ſpiritum tuum. Quòd ſi quandoque adeò afflictum, atque turbatum te videris, ut impoſſibile exiſtimes, pacem interiorem denuò conſequi, illico ad orationem confugias; perſeveres verò in ipſa ad Chriſti Domini exemplum, qui ter oravit in horto, ut nobis oſtenderet, quòd omnis recurſus, atque refugium noſtrum debeat eſſe Oratio: quòdque (licèt valde contriſtatum, atque puſillanimem te ſenſeris) non debeas ab ea diſcedere, donec voluntatem tuam conformem omninò cum illa DEI eſſe inveneris: & per conſequens devotam, pacificem, ac generoſam ſimul, & audacem effectam videris ad amplectendum, & libenter ſubeun-

eundum, quidquid antea timebat, vel odio habebat, ſicuti fecit Redemptor, qui ait: *Surgite, eamus: ecce appropinquat, qui me tradet.*

CAPUT III.

Quomodo paulatim pacifica cordis habitatio ædificanda ſit.

STude, dilecte Fili, (ut ſupra dictum eſt ne turbetur unquam cor tuum, aut ſe immiſceat in re, quæ ipſum perturbet; atque ideo ſemper labora, ut quietum ipſum conſerves; hoc namque modo Dominus in anima tua domum pacis ædificabit; ſicque cor tuum verè erit domus deliciarum, & delectationum. Solum hoc à te cupit Dominus ipſe, ut quotieſcunque in iram excitatus fueris, ſeu alius in te motus ſurrexerit, te, illumque ſtatim modereris, ita, ut in omnibus operationibus, & cogitationibus tuis pacificus ſis. Sicut autem nulla domus die una ædificatur, ita neque credas, te una die iſtam pacem interiorem conſequi poſſe: cùm hoc quoque nihil aliud ſit, quàm ædificare domum Domino, & tabernaculum Altiſſimo, te ejuſdem Altiſſimi templum efficiendo; præterquam quòd ipſe Dominus ille eſt, qui templum illud ædificare debet, alioquin vanus eſſet omnis tuis labor, ut docuit Spiritus ſanctus per

per os David, dicens: *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam, Ps. 126.*

Considera verò, principale, imò, totum istius exercitii fundamentum esse humilitatem.

CAPUT IV.

Quòd anima refutare debeat quodcunque solatium, quia hoc est vera humilitas, ac spiritus paupertas, qua pacem animæ adipiscimur.

DIlecte Fili, si cupis per hanc humilitatis januam ingredi, (alia enim non datur) debes semper laborare, & vires omnes adhibere, sed præcipuè ab initio, ut amplectaris tribulationes, & res adversas, tanquam charas sorores tuas, desiderans ab omnibus contemni, nullumque inveniri, qui tibi faveat, vel te confortet, nisi Dominus DEUS tuus. Figas igitur, atque stabilias in corde tuo, solum DEUM esse Bonum tuum, tuumque unicum refugium, reliqua verò pro te esse spinas, quas, si ad cor tuum strinxeris, sine dubio malè tibi erit. Si verò aliquid indecorum tibi ab aliquo obveniret, valde contentus esse deberes, sufferens cum gaudio: & pro certo habens, DEUM tunc esse tecum; neque alium honorem unquam cupias, aut aliquid aliud quæras, quàm pro DEI amore pacis:

nec

nec non omne id libenter ſuſcipere, quod verè ad ejus majorem gloriam eſſe exiſtimatur. Ad hoc incumbe, ut læteris, ubi aliquis injurias tibi faciet, vel te reprehendet, aut aſpernabitur; magnus enim theſaurus ſub hoc pulvere latet; quem ſi libenter acceperis, citò dives invenieris, etiam abſque eo, quòd ille advertat, qui tibi tale munus donavit. Ne cures unquam, ut aliquis in vita illa te amet, aut te æſtimet: & hoc, ut derelictus ab omnibus cum crucifixo Domino patiaris, nullusque ab illo te impediat. Voluntati tuæ, intellectui tuo, & judicio tuo obedias nunquam, niſi in perniciem ire velis. Quare neceſſaria ſunt tibi arma ad te defendendum à te ipſo. Atque ideo, quotieſcunque voluntas tua ad rem aliquam, quamvis ſanctam, inclinare voluerit, priùs rem illam, ſolam, ac nudam cum profunda humilitate ante Dominum ſiſtes: ſuppliciter ipſum orando, ut in ea fiat non tua, ſed DEI voluntas: hocque accenſis cum deſideriis efficies abſque ulla amoris proprii immixtione: agnoſcens ſemper, quòd à te nihil habes, & nihil potes. Cave autem à tuis judiciis, quæ ſecum adferunt ſpeciem ſanctitatis, & indiſcreti zeli, de quo ait Dominus: *Cavete à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos ſub veſtimentis ovium, & ſunt lupi rapaces; à fructibus eorum cognoſcetis eos*, ipſorum fructus ſunt, animam in

in anxietate , & inquietudine detinere.

Res omnes, quæ te ab humilitate, & ab hac pace, ac interiori quiete ſeparant, ſint ſub cujuſvis rei prætextu, ac ſpecie, falſi Prophetæ ſunt, qui in figura ovium, id eſt, ſub prætextu zeli, & juvandi proximum, indiſcretè, ut lupi rapaces, prædantur humilitatem tuam, nec non pacem illam, atque quietem tam neceſſariam illi, qui verè, & ſecurè optat, proficere. Quò autem res majorem apparentiam, ac ſpeciem ſanctitatis habebit, eò magis examinanda eſt, & quidem multa cum pace, & interiori quiete, ut dictum eſt. Quòd ſi quandoq; te in aliqua iſtarum rerum deficies, ne turberis: ſed humilias te ipſum coram Domino tuo, & fragilitatem tuam agnoſcas, ac diſcas impoſterum, quid tibi agendum ſit: ideo enim illum defectum permiſit Dominus, ut humiliares ſuperbiam, quæ certiſſimè intra te latet, & non agnoſcis. Si aliquando animam tuam ab acuta, & venenata aliqua ſpina transfigi ſenſeris, ne idcirco inquietus fias; ſed majori ſtatim cum ſolertia vigila, ne magis illa feriat, ac magis intus penetret. Tum cor tuum, & voluntatem tuam retrahens ad verum locum pacis, atque quietis, ſuaviter illud ſepara, & detine, ut ſic animam tuam puram DEO conſerves, qui ſemper intra viſcera tua, & in profundo cordis tui invenietur ob rectitudinem

dinem intentionis tuæ, certum te reddens, quòd totum accidat ob exercitium tuum: utpote hoc modo capax efficiaris boni tui, & coronam justitiæ tibi à Domini misericordia præparatam merearis.

CAPUT V.

Quòd anima in mentali solitudine conservari debeat, ut Deus operetur in ipsa.

DIlecte Fili, magnì facias animam tuam, quoniam Pater patrum, & Dominus dominorum ipsam creavit pro habitaculo, & templo suo. Eam in tanto habeas pretio, ut non permittas, eandem ad rem aliam se inflectere, & inclinare. Desideria tua, nec non spes tuæ semper sint de adventu Domini, qui, nisi invenerit animam tuam solam, recusabit ipsam invisere. Ne putes, quòd in alterius præsentia Dominus, vel minimum verbum, cum anima tua locuturus sit, nisi forsan eidem animæ minando, vel ab ipsa fugiendo. Solum cupit animam DEUS, tum separatam à cogitationibus, quo plus fieri potest, tum omninò à desideriis, tum multò magis à sua propria voluntate. Quare non debes tu à te ipso indiscretè pœnitentias assumere, vel occasiones inquirere tolerandi aliquid pro amore DEI; duce sola voluntate tua: sed omnia facere debes consilio Patris tui spiritualis.

ritualis, & ſuperiorum tuorum, qui te loco DEI regunt: ut, mediantibus ipſis, diſponat DEUS, ac faciat de voluntate tua id, quod ipſemet DEUS vult, & eo modo, quo vult. Nunquam id opereris, quod cuperes: ſed quidquid DEUS in te voluerit, faciat ſemper; fac tamen tu, ut voluntas tua ſemper à te ipſo disjuncta ſit, ita ut tu ex te ipſo nihil velis. Quando autem aliquid habere volueris, ſemper ita illud velis, ut, ſi contigerit fieri aliquid, quod nolles, imò contrarium, non doleas: ſed perſeveret ſemper ſpiritus tuus ita quietus, quaſi rem nullam voluiſſet. Hæc eſt vera animi libertas, nulli rei nos alligare. Si DEO animam tuam ſic ſolutam, ſolam, ac liberam dederis, ſtatim videbis admirabilia, quæ in ea DEUS operabitur. O amabilis ſolitudo, & ſecretum Altiſſimi habitaculum! in quo tantùm aures præbet DEUS, & non alibi, nec non ubi ſolùm loquitur ad cor animæ. O deſertum, quod Paradiſus effectum eſt, quia in eo ſolo permittit DEUS, ſe videri, ſibique loqui. *Vadam, & videbo viſionem hanc magnam*; ſed, ſi cupis ad hoc pervenire, ingredere diſcalceatus, ô Fili, in terram iſtam, quia ſancta eſt; deſpolia priùs pedes: id eſt, affectus animæ tuæ nudi, ac liberi ſint; neque tecum ſaccum, aut peram deferas in hac via: quia nihil deſiderare debes in terris, quamvis aliqua à multis

aliis

aliis inquirantur; imò nec ullus salvandus est, ut totam cogitationem, & affectum tuum, relictis omnibus creaturis, in solo DEO occupare possis. Relinque mortuos sepelire mortuos, & solus ad terram viventium perge: neque mors in te habeat quidquam.

CAPUT VI.

De prudentia, quam in amando proximo habere debemus, ne turbetur pax cordis nostri.

EXperientia ipsa tibi ostendat, fili, viam hanc charitatis, & amoris erga Deum, & proximum valde latam, & apertam esse, ut per eam ad æternam vitam eamus. Dixit Dominus, quòd venerat ignem mittere in terram, quòdque nihil aliud cupiebat, nisi ut ignis ille arderet; & quamvis amor Dei nullum habeat terminum, amor proximi nihilominùs debet illum habere; quia, nisi illum cum debita moderatione habeas, posset tibi grave damnum adferre, & te desiderio alios lucrandi, ad extremam tui ipsius ruinam deducere. Debes amare proximum tuum taliter, ut damnum anima tua non patiatur. Quamvis tenearis præstare aliis bonum exemplum, nunquam tamen aliquam rem facies tantùm propter istud: quia, hoc modo, non posses nisi aliquid de

te ipſo amittere. Res omnes cum ſimplicitate, ac ſanctitate efficias, abſque reſpectu in aliud; quàm in purum Dei beneplacitum. Humilia te in omnibus operibus tuis: & agnoſces, quàm parum juvare alios vales. Conſidera, quòd non debes habere fervorem, ac zelum animarum adeò, ut quietem, & interiorem tuam pacem perdas. Sitim ſemper ardentem habeas, atque cupiditatem, ut omnes agnoſcant veritatem, quam tu agnoſcis: nec non, ut inebrientur hoc vino, quod cuilibet DEUS promittit, ac donat abſque ullo pretio vel minimo.

Sitim hanc de proximi tui ſalute ſemper habere debes: ſed ab amore procedat, oportet, quo amas Deum, non verò ab indiſcreto zelo tuo. Deus ille eſt, qui eam debet inferre in ſolitudine animæ tuæ, & ex ea fructum colligere, quando ipſi placuerit. Tu ex te ſolo feras nihil: ſed Deo ſemper offeras terram animæ tuæ puram, ac mundam ab omni re; quoniam tunc ipſe ſeminabit in ea ſemen ſuum juxta beneplacitum ſuum proprium: & ſic fructum abundantiſſimum tibi reddet. Recordare ſemper, DEUM velle hanc animam tuam, ſolam, atque omninò ſolutam; ut eam uniat ſibi. Relinque tantùm, ut ipſemet te eligat: neque illum impedias per liberum tuum arbitrium; ſed eas abſque ul-

la

la tui ipsius cogitatione, præterquam placendi Deo: expectans, ut à Deo ducaris ad operandum, cùm jam Paterfamilias egressus sit ad operarios inveniendos. Omnem curam, atque cogitationem neglige, omnemque tui ipsius solicitudinem exue, & quemcunque terrenarum rerum affectum: ut Deus induat te se ipso, tibique donet illud, de quo tu nunquam cogitâsti. Obliviscere, quo plus potes, tui ipsius, & solùm vivat Dei amor in anima tua. Ex illis, quæ dicta sunt, hoc diligentissimè custodiatur in te, (vel, ut meliùs dicam, absque diligentia ulla, quæ inquietum te efficiat) ut scilicet pacifices zelum, & fervorem tuum cum multa temperantia: ut Deum conserves in te cum omni pace, ac tranquillitate, ne anima tua de proprio amittat capitali, quod necessarium est, ubi ad lucrum propter alios indiscretè exponitur. Hoc tacere eo modo, quod dictum fuit, est, altè clamare in auribus Dei. Hæc otiositas illa est, quæ totum negotiatur, quare ipsa sola debes negotiari, ut dives efficiaris apud Deum; cùm aliud non sit totum istud, quàm resignare animam in manus Dei à nulla re occupatam; hocque faciendum tibi est, absque eo quòd aliquid tibi attribuas, putesque rem aliquam te efficere isthæc operando; Deus enim ille est, qui omnia facit, & ex parte tua nihil aliud Deus vult:

niſi ut coram ipſo humilieris, & animam tuam ſolutam offeras, ac liberam affatim ab omnibus terrenis rebus, cum interiori tamen deſiderio, ut ſemper perfectiſſimê in te voluntas DEI adimpleatur.

CAPUT VII.

Quomodo anima propria voluntate deſpoliata præſentare ſe debet coram Deo.

DIlecte Fili, debes paulatim incipere hoc modo, nec non cum ſuavitate confidens in Domino, qui te vocat, & dicit: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos: Omnes, qui ſititis, venite ad fontem, & bibite.* Hunc motum, atque divinam vocationem te ſequi oportet, expectando ſimul cum ipſa impetum Spiritus ſancti, ut reſolutè, clauſiſque oculis te projicere poſſis in mare providentiæ divinæ, æternique beneplaciti; orans, ut in te iſtud efficiatur; hocquippe modo à potentiſſimis divinæ complacentiæ undis, (abſque eo quòd iiſdem reſiſtere poſſis) traheris, & ad portum peculiaris tuæ perfectionis, atque ſalutis cum tranquillitate veheris. Facto hoc actu, quem repetere debes centies, & millies in die, labora, & ſtude cum omni poſſibili ſecuritate tam interiori, quàm exteriori, ut accedas cum omnibus potentiis animæ tuæ ad res, quæ

te

te excitant, Deumque laudabilem, amabilem, ac desiderabilem tibi reddunt. Isti verò actus sint semper absque resistentia, ac vi cordis tui, ne, mediis istis exercitiis indiscretis, atque importunis, debilem te efficiant, & forsan etiam ita induratum, ut incapax aliorum exercitiorum fias. Ne rejicias consilium illorum, qui in hoc sunt docti: sed quære, ut assuescas semper desiderio, &, quo plus etiam poteris, opere incumbas contemplationi bonitatis divinæ, ejusque perpetuorum, & charissimorum beneficiorum, accipiens cum humilitate, quidquid ab inæstimabili Domini bonitate in anima tua exprimetur. Cave, ne per vim procures lachrymas, vel aliam sensibilem devotionem: sed in solitudine interiori requiesce semper tranquillus, expectans, quòd adimpleatur in te voluntas DEI. Cùm enim lacrymas, & prædictam sensibilem devotionem tibi DEUS concedet, illa dulcis tunc erit, nec non absque tuo labore, aut vi. Atque ideò ipsam eo tempore acceptabis cum omni suavitate, ac serenitate, & super omnia cum profundissima humilitate. Clavis, qua thesauri spirituales secretiores referantur, est, ut scias negare te ipsum omni tempore, & in quacunque re; per hanc verò eandem clavem porta insipiditati, atque ariditati mentis clauditur, ubi talis ariditas provenit ob

culpam nostram; quando enim à Domino procedit, cum aliis animæ thesauris associatur. Delectare semper commorari cum Maria Virgine ad pedes Christi Domini, auscultans quidquid Dominus dicet tibi. Cura, ne inimici tui (quorum major tu ipse es) te impediant ab hoc silentio; & scito, quòd, quando intellectu tuo Deum inquiris, ut in eo requiescas, terminum, atque comparationem efformare non debes debili tua, atque exigua imaginativa. Absque ulla enim comparatione est Deus infinitus, & ubique reperitur: nec non omnia in eo inveniuntur. Ipsum intra animam tuam reperies, quotiescunque in veritate illum inquires, id est, ut ipsum reperias; non verò, si inquires, ut teipsum invenias, ipsius enim deliciæ sunt, manere cum filiis hominum: ut dignos eos se ipso efficiat, licèt iisdem omnino non indigeat. In meditationibus, ne ita aliquibus punctis addictus sis, ut præter illa, nolis alia meditari: sed ubi quietem invenies, ibi consistas, & fruaris Domino, ubicunque voluerit se tibi communicare, quamvis autem illud intermitteres, quod præmeditatus fueras, & proposueras tibi, ne sis scrupulosus: quia totus finis istorum exercitiorum est, frui Domino, non tamen cum intentione eligendi nobis pro principali fine talem fruitionem: sed, ut melius amantes

efficia-

efficiamur operum ejus cum proposito ipsum imitandi in eo, in quo possumus; invento verò fine, non amplius soliciti esse debemus in mediis, quæ ad eundem finem acquirendum ordinantur. Unum ex impedimentis veræ pacis, ac quietis est, anxietas, & fixa nimis cogitatio, quam in similibus meditationibus habemus; fundamus enim, & ponimus totum spiritum nostrum circa hanc, vel illam rem, cogentes Deum, ut eundem nostrum spiritum per viam deducat, quam spiritus ipse vult, compellentes hoc modo, ipsum ire, quo nobis præfiximus; magis voluntatem nostram in hoc curantes, absque ulla advertentia, quàm illam Domini nostri: quod aliud non est, quàm Deum quærere per fugam ab ipso, nec non, velle DEO placere, voluntati ejus non obtemperando. Si tu verè cupis progredi in hac via, & pervenire ad desideratam metam, nullam aliam tibi proponas intentionem, seu scopum, quàm invenire Deum, ubicunque se tibi palam faciet. Omnia desere, neque ulterius progrediaris, donec facultatem obtineas; quare obliviscaris semper cujuscunque rei, ut requiescas cum Domino Deo tuo; quando namque Majestati divinæ placebit se abscondere, nec ampliùs eo modo se manifestare, tunc denuò ipsam inquirere poteris, perseverando in exercitiis tuis, & quidem

dem semper cum desiderio inveniendi, mediantibus ipsis, amorem tuum, ipsoque invento, faciendi quidquid supra diximus, omnia alia derelinquens: agnoscensque, tunc desiderium Domini completum esse. Hoc autem valde considerandum est; multi enim homines spirituales, non parum fructus, atque quietis amittunt, quia adeò in exercitiis suis defatigantur; illi enim sibi falsò effingunt, se nihil facere, nisi exercitia omnia conficiant, ponentes in illis perfectionem, & volentes omninò mentem propriam adimplere; pro qua re valde afflicti vivunt, sicut ille, qui laborat, ut aliquid compleat, absque eo quòd ad veram quietem, & interiorem pacem perveniat: in qua verè manet, & requiescit Dominus Deus.

CAPUT VIII.

De fiducia, quam habere debemus in sanctissimo Altaris Sacramento; & quomodo offerre nos Domino debeamus.

DIlecte Fili, omnem operam nava, ut augeatur, & crescat magis quotidie in anima tua fiducia sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti; neque cesses unquam admirari tam incomprehensibile mysterium, & gaudere, considerans, quòmodo se Dominus sub humilibus illis, ac puris specie-

bus

bus ostendat, ut digniorem te reddat: *Beati enim, qui non viderunt, & crediderunt.* Ne cupias, ut tibi Deus se ostendat in hac vita sub diversa forma à prædicta. Quare item, ut voluntas tua inflammetur erga ipsum; sisque quotidie promptior ad ejus voluntatem faciendam, semper, & in quibuslibet rebus. Cum Deo existenti in hoc Sacramento te offeres, sis paratus, oportet, atque dispositus ad tolerandum pro ejus amore omnia tormenta; pœnas, atque injurias, quæ tibi advenient, nec non quamcunque infirmitatem, insipiditatem, atque ariditatem, tum in oratione, tum extra illam: cogitans ubique, quòd hoc multoties pati debeas; quare acceptandum illud pro optimo tibi est, ac laborandum: ut ejusdem tu ipse causa non sis; unde quodcunque gaudium tuum debet esse, pati unà cum amabili, ac charo JESU tuo pro amore ejus. Ne sis inconstans in eo, quod incipis; neque velis hodie rem unam, & cras aliam: sed persevera, & firmus esto, sisque certus, quòd, si hæc media adhibueris, laborando simul semper cum supradicta suavitate, impossibile erit, quòd usque in finem non perseveres; vivere enim absque ista quiete non poteris, vel unicam horam; & minimum temporis spatium sine ulla pro intolerabili erit tormento.

 CA-

CAPUT IX.

Quòd ... liciæ quærendæ non sunt; sicut nec ...d aliud, quod consolationem adferat, sed solus Deus.

ELige semper, fili mi, afflictiones, tibique gratum semper sit carere consolationibus particularium amicitiarum, atque favorum, qui nullam animæ pariunt utilitatem. Tum quære semper te subjicere alterius voluntati, & ab ea dependere. Quæcunque res tibi pro occasione inserviet, ut adeas Deum; nihil autem te in via detinere debet. Opus est, ut hæc sit consolatio tua, scilicet, ut quælibet res pro te redoleat amaritudinem, & solus Deus, sit requies tua. Omnes afflictiones tuas dirige ad Dominum Deum tuum: ipsum ama, eique cor tuum totum communica absque ullo timore; ipse enim viam inveniet, ut omnia tua dubia solvat, & certè, si cecideris, supponet manum suam, teque eriget. Denique unico verbo omnia concludo, si DEUM dilexeris, omne bonum habebis. Te DEO offeras in sacrificium, in pacem, atque tranquillitatem spiritus; & ut melius pergas in hoc itinere, teque recreas, absque lassitudine, & perturbatione, ut tu ad quemcunque passum animam suam disponas oportet, extendendo nempè voluntatem tuam ad illam DEI, quo magis

enim

enim tuam ad illam DEI extenderis, eo plus boni ab ea recipies. Voluntas tua ita debet esse disposita, ut velit, & nolit id solùm, quod vult, & non vult Deus. Semper, & in quacunque hora renova propositum tuum, scilicet, quòd Deo placere velis: neque decernas unquam aliud præter id, quod in eo instanti, in quo es, fieri debet. Sed esto semper liber; non perhibeo tamen, ut aliquis cum prudenti solicitudine, ac diligentia attendat ad id, quod sibi, suoque statui necessarium est; sic namque operari, est operari juxta illud, quod Deus vult: neque pacem impedit, aut verum profectum spiritualem. In omnibus rebus propone id facere, quod potes, & debes; tum esto indifferens, ac resignatus in omni eo, quod accidit. Quod semper circa hoc facere potes, est, offerre DEO voluntatem tuam, & nihil ampliùs concupiscere; nam quotiescunque hanc libertatem habueris: & ex omni parte liber fueris (quod obtinere potes omni tempore, ac in omni loco, sive occupatus sis; sive non) tranquillitate, ac interiori pace verè frueris. In hac spiritus libertate magnum bonum consistit, quod tu intendis; talis autem libertas nihil aliud est, quàm, hominem interiorem perseverare in seipso, absque eo quòd delectetur, velit, cupiat, vel inquirat aliquid extra se; toto enim eo tempore, quo ita

ita liber vives, fruêris hac servitute divina, quæ magnum illud regnum est, quod intra nos invenitur.

CAPUT X.

Quòd animo excidere non debet DEI servus, quamvis sentiat in se repugnantiam, & perturbationem propter hanc pacem interiorem.

DIlecte Fili, scito, quòd multoties turbaberis, & hac sancta, dulcique solitudine, & chara libertate interiori privaberis; pulvis enim terrenus ita quandoque attollitur ab internis motibus cordis tui, ut permagnam molestiam in via ista, quam excurrere debes, tibi sit allaturus. Hoc permittit Deus ob majus bonum tuum. Memento, istud esse Certamen illud, ex quo Sancti meritorum suorum coronas traxerunt. In omnibus ergo rebus, quæ te turbabunt, dices:

Domine, ecce adest hic servus tuus, fiat in me voluntas tua: Ego scio, ac confiteor, quòd veritas verbi tui semper constans permanebit in æternum: quòdque promissiones tuæ infallibiles sint; & in eis confido. Inspice Domine, hic adstat creatura tua: fac de ea, quidquid tibi placet, Deus meus, nullam rem habeo, à qua impediar. Pro te solo ego vivo. Felix anima illa, quæ ita Domino suo se offert, quotiescunque turbatur.

tur, & patitur inquietem. Quòd si Certamen illud diu duraverit, ita, ut non possis tam citò, sicut cuperes, voluntatem tuam divinæ voluntati conformem reddere, ne idcirco excidat animus tuus, aut pertimescat: sed semper prosequere in oratione, atque oblatione tui ipsius; ita namque victoriam consequeris.

Despice in horto Certamen, quod habuit Christus Dominus DEUS tuus, & quomodo ejus humanitas recusabit, dicens: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste:* sed illico redibat anima ejus ad solitudinem, & voluntate soluta, ac libera dicebat cum profundissima humilitate: *Verumtamen non mea, sed tua fiat voluntas.* Inspice & fac secundum exemplar, mi fili, neque, vel unum gradùm moveas, cùm in aliqua difficultate involutus reperiris, nisi priùs oculos ad Christum in cruce positum attollas; in eo quippe scriptum, impressumque conspicies characteribus valdè magnis, quomodo te gerere debeas. Disce fideliter ab hoc exemplari. Ne paveas, sic aliquando à tuo proprio amore perturbaris: neque à cruce te subtrahas: sed ad orationem redeas, & in humilitate persevera, quousque voluntatem tuam omninò amiseris: ac volueris, ut sola divina voluntas fiat in te. Si verò ab oratione discesseris, cum hoc solo fructu contentus esto: sed,

si hucusque non adveneris, anima tua verè jejuna erit, & absque cibo. Labora, ut nulla res in anima tua, neque ad brevissimum tempus moretur, nisi sit ipse DEUS. De nulla re fel, aut amaritudinem in te conserves: neque oculos tuos ponas in malitiis, malisque aliorum exemplis: sed esto, velut puer parvulus, qui nullam ex rebus istis fastidit: sed per omnia absque ulla offensione pertransit.

CAPUT XI.

De diligentia, qua diabolus utitur, ut hanc pacem perturbet: & quomodo cavere debemus ab ejus fraudibus, ac fallaciis.

CUM sit mos Adversarii nostri, omni studio quærere, ut animas devoret; incumbit, quò plus potest, ut ab humilitate, atque à simplicitate recedant: sibique, & industriæ ac solertiæ suæ rem aliquam attribuant, atque ad gratiæ donum non respiciant, sine quo nullus, vel tantùm hoc verbum, JESU, proferre potest; licèt enim eidem gratiæ ex nobis ipsis per liberum arbitrium resistere possumus, nihilominùs eam in nos recipere non valemus absque ejusdemmet gratiæ auxilio. Itaque, si aliquis gratiam non admittit, hoc culpæ ipsius est imputandum: sed si eam

ad

admittit, hoc culpæ ipſius eſt imputandum: ſed ſi eam admittit, hoc neque facit, neque facere poteſt, niſi per gratiam, quæ cuilibet ſufficienter donatur. Procurat ergo adverſarius noſter diabolus, ut aliquis ſe putet, ac judicet alio diligentiorem, eò, quòd ſe melius ad DEI dona in ſe recipienda diſponat: tum quærit, ut prædictum actum cum ſuperbia aliquis efficiat, nihil conſiderando ſui ipſius inſufficientiam (niſi adjuvaretur à gratia) atque ideo ad alios contemnendos deſcendat per cogitationem ſuam, quòd ii opera illa non faciant, quæ ipſe facit. Quare, niſi diligenter adverteris, & citiſſimè ad confuſionem, miſeriam, & nullitatem tuam reverſus fueris, efficiet dæmon: ut in ſuperbiam præcepseas, non minùs ac Phariſæus ille, de quo Evangelium loquitur; gloriabatur enim bonis ſuis, atque alios malos judicabat. Quòd ſi diabolus per hoc medium voluntate tua potiretur, liber illius dominus illico fieret, atque in eam quodcunque vitiorum genus introduceret. Quare maximum eſſet damnum, & periculum tuum. Idcirco nos monuit Dominus, ut vigilemus, & oremus. Neceſſarium igitur eſt, ut diligentiſſimè advertas, ne inimicus tuus te privet tam magno theſauro, ſicuti eſt pax, & tranquillitas animæ; omni namque ſuo conatu quærit, ut à te tranquillitatem

tatem istam surripiat, efficiatque, ut anima tua in anxietate, atque perturbatione vivat; in quo ipse optimè agnoscit consistere totam perditionem, ac damnum tuum; quia, si anima quieta sit, & omnia cum facilitate operetur, multa efficit, ac omnia benè facit; quo circa libenter in bono perseverat, & absque difficultate cuicunque rei oppositæ resistit; è contrario verò, si turbata, & irrequieta sit anima, parum operatur, & hoc etiam imperfectè: statim defatigatur: ac tandem in infructuoso martyrio torquetur semper. Tu autem, si vis obtinere victoriam, cupisque, ut ab inimico infernali negotium tuum non turbetur, in nulla re magis cautus esse debes, quàm in agendo, ut turbatio non ingrediatur in animam tuam, atque in efficiendo, ut, neque pro uno momento, inquietus existas. Ut verò meliùs scias effugere hostis fallacias, sume tibi pro certa regula in hoc casu, quòd quæcunque cogitatio, quæ distrahit, & removet ab amore, & confidentia in DEUM, sit inferorum nuncius; quare, velut talem, ipsam debes repellere, & non admittere, aut audire: Spiritûs sancti enim officium aliud non est, quàm uniendi magis, magisque, semper, & in qualibet occasione animas Deo: ipsos nempe accendendo, ac inflammando in dulci ejus amore, in iisque novam confidentiam ponendo; officium verò dæmo-

nis

nis prædicto omninò contrarium est; utitur namque mediis omnibus possibilibus pro hoc fine: utì sunt, multum timorem incutere, debilitatem ordinariam aggravando, nec non ostendendo, quòd anima non disponatur, ut deberet, tam pro Confessione, quàm pro sacra Communione, ac oratione; atque ideo eandem animam ad diffidentiam, timorem, atque perturbationem compellit; facit enim, ut carentiam sensibilis devotionis, nec non consolationum, tum in oratione, tum in cæteris exercitiis cum impatienti mœrore toleret, ei scilicet suadendo, quòd totum eo modo vanum est, atque inutile; quòdque eadem anima meliùs faceret, si tot prætermitteret exercitia; tum demum illam ad tantam inquietudinem, atque diffidentiam deducit, ut cogitet, esse inutile, & infructuosum, quidquid agit; quare ita crescit in ea afflictio, & timor, ut putet deinde, suî Deum deinde ampliùs non recordari: sed pro rei veritate ita non est: quia innumerabilia sunt bona quæ ab ariditate, & sensibilis devotionis subtractione causarentur, quotiescunque anima id intenderet, quod Deus mediis illi intendit; si ipsa tantùm patiens foret, atque perseveraret in benè operando, quò melius potest. Et ut clariùs hoc capias, utque utilitas, quæ à Deo prætenditur, non sit (eò quòd rem benè

non

non percipias) in damnum tuum, breviter exponam hîc bona, quæ ab humili perseverantia in his aridis exercitiis procedunt: ut, cùm ea sciveris, pacem non amittas, ubi contigerit, te reperiri in simili mentis ariditate, cordisque oppressione circa devotionis sensum, seu in quacunque alia tentatione, etiam valde horribili.

CAPUT XII.

Quòd inquietem pati non debeat anima ob tentiones interiores.

DIlecte Fili, multa sunt bona, quæ amaritudo, atque spiritualis ariditas producit in anima, si cum humilitate, & patientia sufferatur. Quod, si benè homo perciperet, absque dubio tantam inquietudinem, & afflictionem non sentiret, ubi ei contingeret talis ariditas: illam enim susciperet, non tanquam signum odii, quod ipsi DEUS ostendit; sed ut signum magni, ac peculiaris amoris, imò eam acceptaret, velut præcipuam gratiam à DEO sibi factam. Hoc manifestè cognoscitur, si advertimus, quòd similia non accidunt, nisi illis, qui magis quàm cæteri se dedere cupiunt servitio Dei, magisque abesse à rebus illis, quæ ipsum offendere possunt; neque hoc evenit, ut plurimum, in initio conversionis ipsorum: sed post-

quam

quam Domino pro aliquo tempore deſervierunt, nec non cùm decernunt ei cum majori perfectione famulari: pro qua re jam operi manum admoverunt; nunquam enim videmus, quòd peccatores, aut illi, qui terrenis rebus inhiant, pro ſimilibus tentationibus lamententur; quare apertiſſimè apparet, quòd hic ſic pretioſus cibus quo DEUS convivio eos excipit, quos amat; & quamvis palato noſtro talis cibus inſipidus videatur, juvat nihilominus maximopere, etiamſi pro illo tempore beneficium iſtud non cognoſcamus; ubi enim in hujuſmodi ariditate anima noſtra reperitur, nobíſque videtur, quòd ſola cogitatio de ſimilibus tentationibus nos ſcandalizet, acquirit hoc modo anima noſtra timorem, atque abominationem ſui ipſius, humilitatemque illam, quam Deus deſiderat: quamvis, ut diximus, ipſa anima, quæ pro tempore illo hoc ſecretum ignorat, ab eo abhorreat, & renuat ire per talem viam; nunquam enim eſſe vellet abſque ſolatio, & delectatione interna; putat namque, ſine iſtis, quocunque alio exercitio eſſe tempus amiſſum, laboremque abſque ullo profectu inſumptum.



CA-

CAPUT XIII.

Quòd tentationes nobis à DEO mittantur ob progressum nostrum.

DIlecte Fili, ut magis, & particularius agnoscas, tentationes nobis à DEO dari ob bonum nostrum, considerandum tibi est, hominem propter malam propensionem corruptæ suæ naturæ esse superbum, ambitiosum, ac proprii judicii; præsumit enim semper supra id, quod est. Hæc præsumptio, seu nostri ipsorum æstimatio adeò periculosa est in spirituali progressu, ut solus ejusdem odor sufficiens sit ad retrahendum nos à vera perfectionis consecutione. Idcirco DEUS, utpote benignissimus, per suam amantissimam providentiam, quam de quocunque homine habet, sed præcipuè de illis, qui verè ejus servitio se dediderunt, procurat, ut nos in tali statu conservet, in quo à tanto periculo exire possimus; imò in quo, quasi coacti, veram de nobis cognitionem habeamus: sicuti fecit cum Apostolo Petro, permittens, ut ipsum negaret, ad hoc, ut se cognosceret, & ampliùs de propriis viribus non consideret: & cum Apostolo Paulo, cui (postquam ad tertium usque Cœlum eum rapuit, eique divina secreta communicavit) molestissimam tentationem immisit; ut, propria naturali fragilitate, ac mi-

miseria cognita, humilis foret, ac solùm in infirmitatibus suis gloriaretur; tum etiam ne à magnitudine revelationum, quas à DEO habuerat, ad præsumptionem extolleretur: sicut ipse Paulus ait. DEUS igitur compatiens miseriæ, & propensioni nostræ perversæ, permittit, ut hujusmodi tentationes nos invadant, sintque valde horribiles aliquando, nec non variis modis: ut agnoscamus per illas non ipsos, nosque humiliemus: quamvis nobis illæ inutiles videantur. Hîc verò bonitas, ac sapientia divina ostenditur; quoniam per illud, quod nobis nocivum videtur, magis DEUS nos juvat; quia propter hoc humiliamur magis: quod quidem illud est, quo, plus quàm cæteris rebus, indiget anima nostra. Contingit siquidem ut plurimum, ut DEI servus, qui similes cogitationes sentit in se, tantamque indevotionem, ac spiritûs ariditatem, putet, illud sibi accidere propter imperfectiones suas, nullumque inveniri posse, qui defectuosam adeò animam habeat, & qui DEO cum tanta tepiditate inserviat, sicut ipse facit; unde & credit, similes cogitationes, non nisi hominibus à Deo derelictis evenire. Ex quo sequitur, ut ille, qui priùs se aliquid esse præsumebat, hac amara medicina è Cœlo demissa, omnium pessimum in terris se esse putet; imò indignum etiam nomine

mine Christiani. Nunquam autem ad tam humilem sui æstimationem, profundamque adeò humilitatem descendisset, nisi magnæ tribulationes, & extraordinariæ tentationes ipsum coëgissent, ac impulissent ad illam; quod quidem est una ex gratiis, quas DEUS in hac vita illi animæ impertitur, quæ in ipsummet Deum se resignavit, ac se in manu ejus reposuit: ut Deus nimirum ipsi medeatur eo modo, quo eidem Deo placet, ac mediis illis medicaminibus, quæ DEUS solus agnoscit necessaria esse ad ipsiusmet animæ utilitatem & sanitatem. Præter hunc fructum, quem tales tentationes, ac devotionis defectus causant in animabus nostris, multi alii adsunt: qui enim ita tribulationibus impetitur, quasi cogitur recurrere ad Deum, & ad benè operandum: sicut etiam propter remedium hujuscemodi mali, & ut pervenire valeat ad totalem liberationem à tali martyrio, cor suum homo examinat, & ab omni peccato, nec non à quacunque refugit, quæ imperfecta est, & quæ à DEO, aliquo modo, nos removere videtur. Atque ita tribulatio illa, quam anima sibi adeo contrariam putabat, atque nocivam, deservit eidem animæ pro stimulo, ut majori cum fervore Deum quærat, & ut ab omni eo se tollat, quod non conforme esse cogitet voluntati divinæ. Tandem

dem omnes istæ tribulationes, labores, atque angustiæ, illæ, quas anima sustinet in talibus tentationibus, & privationibus spiritualis delectationis, nihil aliud sunt, quàm amoris Purgatorium, si cum humilitate, & patientia (ut dictum est) tolerentur; præterquam quòd inserviunt, ut in Cœlo illam habeamus coronam, quæ solùm, mediantibus ipsis, acquiritur, & quidem eò gloriosior, quò majores fuerunt labores, atque angustiæ perpessæ.

Ex hoc optimè patet, quàm exiguam causam turbationis habeamus, & inquietudinis, uti solent habere personæ illæ non multum in hoc expertæ, quæ id, quod à DEI manu procedit, dæmoni tribuunt, vel peccatis, & imperfectionibus: dum amoris signa pro odii indicio accipiunt: favoresque, & munera divina putant esse ictus à corde irato provenientes: creduntque, omne id, quod operantur, perditum esse, ac sine meritò, talemque amissionem nullum remedium admittere; si enim verè crederent id, quod à parte rei est, scilicet nullam fieri perditionem: sed potiùs magnam adeptionem (si anima ea occasione benè utatur, sicuti semper potest) totúmque illud esse argumentum memoriæ amantissimæ, quam Deus habet de nobis, possibile certè non foret, ut inquietarentur, aut pacem amitterent, quòd afflictos

se viderent à multis tentationibus, ac imaginationibus, nec non quòd aridos, & indevotos in oratione, aliisque exercitiis se cernerent. Imò tunc nova cum perseverantia animas proprias humiliarent, in conspectu Domini, sibique proponerent voluntatem Divinam, ejusque servitium, quocunque modo opus esset, eidem Domino famulari in terris; tum diligentes essent, ut pacificos, ac tranquillos se conservarent: omnia à cælestis Patris dextra suscipientes, in qua sola calix iste, qui ipsis porrigitur, repositus est; & ratio est, quia, vel à dæmone, vel ab hominibus, vel ob peccata, vel, quocunque alio modo, molestia, & tentatio illa procedat, semper DEUS est ille, qui nobis eam mittit, quamvis per varia media illam nobis porrigat juxta beneplacitum suum; ad nos enim non nisi malum pœnæ pervenit, quod semper ab ipso DEO est, qui illud demittit, & dirigit pro bono nostro, licèt malum culpæ, quod committitur à proximo nostro, exempli gratiâ, damnum, vel injuriam aliquam nobis faciente, voluntati Domini sit contrarium: quo nihilominùs utitur DEUS ob beneficium, atque salutem nostram, quare non tristitiam, aut animi inquietem in nobis ideo excitare debemus, sed potiùs gratias DEO reddere cum interiori lætitia, & gaudio, peragendo

gendo id omne, quod possumus, cum perseverantia, & deliberatione, absque eo, quòd teramus tempus, & cum tempore multa, ac magna merita: quæ DEUS cupit, ut adipiscamur media illa occasione, quam nobis benignissimè impertitur.

CAPUT XIV.

De remedio, quo uti debemus, ne in peccatis, & fragilitatibus nostris inquietem patiamur.

DIlecte fili, si quandoque in aliquam incideris culpam, vel negligentiam in operibus, aut verbis: uti foret, si turbareris in re aliqua, quæ tibi contingat: vel si obmurmurares: aut alios obmurmurantes libenter audires: vel etiam si in contentionem venires: ad impatièntiæ motus excitareris: in curiositatem, & suspicionem aliorum descenderes: seu quocunque alio modo, semel, vel sæpè labereris; non ideo turbari debes, aut diffidere, & te affligere, cogitando ad illud, quod tibi evenit, seu confundendo te intra te ipsum: exempli causâ, modò putando, te exire à similibus fragilitatibus non posse: modò credendo, imperfectiones tuas causam esse illius culpæ, necnon debile propositum tuum: & modò tibi repræsentando, te verè in spiritus via non pergere: ac tandem mille aliis

timoribus, animam tuam onerando tristitia, & pusillanimitate in quocunque passu. Quapropter ex hoc sequitur, ut te pudeat, præsentare te DEO, vel, si te non pudet, hoc diffisus adeò facias, tanquam si illi fidem non servâsses, quam eidem debes; unde, ob remedium adinveniendum, tempus amittis in cogitando res istas, nec non investigando, quantum tempus, datâ operâ, in illis te detinueris? an consenseris? an volueris, vel nolueris? & an cogitationes illas repuleris, vel non repuleris suo tempore? Dum verò in talibus cogitationibus magis, magisque versaris, veram viam negligendo, minùs capis, quod velles; imò plus crescit in te molestia, perturbatio, atque anxietas de Confessione, ad quam dein cum molesto timore itur. Præterquam quòd, ubi multum temporis insumpsisti in Confessione, adhuc quietum spiritum in te non sentis; semper enim tibi videtur non dixisse omnia Confessori; atque ita amarissima, & inquieta vita ducitur, non solùm exiguo cum fructu: verùm etiam cum totius fermè meriti perditione. Totum autem hoc accidit, quia nostram naturalem fragilitatem non agnoscimus, nescimusque modum, quo anima cum DEO agere debeat: cum quo anima (postquam lapsa est in prædictas omnes fragillitates, imò in quamcunque aliam) faciliùs

agit

agit per humilem, & amantem conversionem, quàm per tristitiam, & afflictionem interiùs genitam propter culpam: præcipuè, cùm sistamus tantùm in examine, & specialiter de culpis venialibus, ac ordinariis, de quibus loquimur: in has enim solas solet labi anima illa, quæ eo modo vivit, quo hîc supponimus; locuti namque fuimus de illis tantùm hominibus, qui vitam spiritualem vivunt, necnon progressum suum quærunt, ac à mortalibus peccatis se accuratè custodiunt. Pro illis quippe, qui casu, ut ita dicam, vivunt, & inter mortales noxas, frequenter DEUM offendendo, aliud genus exhortationis necessarium est: neque pro ipsis est apta medicina hæc, cùm causam ii habeant mœrendi, & lugendi, nec non diligentissimè se examinandi, & confitendi; ne, propter culpam, & negligentiam suam remedium ad salutem necessarium intermittant. Denuò igitur loquens de quiete, ac pace, in qua semper debet se conservare Dei servus, dico insuper, quòd hæc conversio, ut omninò sit in Deum confidens, adhiberi debeat non tantùm in levibus, & quotidianis erroribus: sed & in majoribus, ac ultra consuetum gravioribus, si quandoque Dominus permitteret, ut in illos labereris; & quidem etiamsi valdè forent inter se uniti prædicti errores, nedum ob solam fragili-

tatem, & debilitatem tuam, ſed etiam ob malitiam tuam; quia pœnitentia, quæ ſolum animum turbatum, ac ſcrupuloſum efficit, nunquam animam ad perfectum ſtatum adducet, niſi conjungatur cum hac amanti confidentia in bonitate, & miſericordia Dei; hocque principalis neceſſarium eſt perſonis illis, quæ cupiunt, non tantùm à miſeriis ſuis exire, verùm & acquirere quoque altum virtutis gradum, magnumque amorem, ac unionem cum Deo; quod cum nolint benè capere multæ perſonæ ſpirituales, ſemper vivunt cum corde, ac ſpiritu debili, & diffiſo, qui eos tenet, ne ulteriùs progrediantur, & majorum gratiarum capaces fiant, quas Deus ipſis præparavit ſucceſſivè donandas: ducuntque ſemper vitam quandam miſerabilem, & inutilem, ſed compaſſione indignam: quia nolunt ſequi niſi proprium judicium, & imaginationem, reſpuentes veram, ac ſalutiferam doctrinam amplecti, quæ per viam Regiam ad altas, ſolidaſque virtutes vitæ Chriſtianæ nos dirigit: nec non ad illam pacem, quæ nobis ab ipſo Chriſto Domino relicta eſt. Oportet etiam, ut iſti homines, quotieſcunque in aliqua inquietudine reperiuntur propter dubia conſcientiæ ſuæ, conſilium petant à proprio Patre ſpirituali, vel ab alia perſona, quam idoneam exiſtiment pro ſimilibus;

libus; tum in ipsa omnia remittant, & omninò quiescant. Ut autem omnia recenseamus de inquietudine, quæ ab erroribus, culpisque nostris procedit, sequens Capitulum addo.

CAPUT XV.


Quòd anima quiescere debeat, & proficere absque temporis amissione.

HANC regulam præ oculis semper habeas, fili: quotiescunque lapsum te videris in aliquem defectum, sive magnum, sive parvum, quamvis millies, ac millies in die eundem admisisses, semperque voluntariè; & cum advertentia: ne molesta turberis amaritudine: neque inquieteris, multumque in perscrutando moreris: sed statim agnoscens errorem, quem commisisti: & cum humilitate respiciens fragilitatem tuam, ad Deum amantissimè te verte, & ore, vel etiam, sola mente, ad ipsum dicas:

Domine operatus ex illo fui, qui sum, nec à me aliud provenire poterat, quàm isti errores, aliique majores; & certè in istis tantùm finem non facerem, nisi bonitas tua, quæ me semper adjuvat, & nunquam deserit, auxiliaretur mihi. Gratias reddo tibi, Domine, pro eo, à quo me liberâsti, & ex toto corde doleo propter illud, quod commisi, gratiæ tuæ non correspondendo. Ignosce mihi,

mihi, quæso, & gratiam mihi largire, qua mediantè nunquam ampliùs te offendam; imò dona mihi, ut nulla unquam res à te, vel paulisper me separet; tibi enim semper servire, atque obtemperare mihi modò propono, & firmissimè volo. Hoc facto, ne tempus amittas in inquietudine, vel in cogitando, quòd Dominus tibi non pepercerit: sed cum fiducia, ac quiete ulterius perge: exercitia tua semper prosequens, tanquam si in nullum defectum lapsus fuisses; hoc verò non semel tibi faciendum est: sed centies, si oporteret; imò in quocunque momento, & quidem cum eadem confidentia, ac pace, ultima vice, qua, prima; hoc namque modo valdè bonitatem DEI honoras: de quo teneris credere, quòd totus benignus, pius, ac misericors in infinitum sit supra id, quod tibi unquam imaginari potes. Sic agendo nunquam interturbatur profectus tuus, perseverantia tua, & progressus tuus; neque tempus in varium, & absque fructu disperdis. Præterquam quòd tu quoque à peccato, seu errore ullo surgere potes, operando hoc modo, lucrando nempè multum eo errore, per intensum actum cognitionis misericordiæ ejus, ipsum Deum amando, & extollendo; ex quo continget, te à lapsu tuo, Dei auxilio, quod tibi præstabitur, altiùs assurgere, quò excelsior fuit locus, à quo decideras; dummodo tamen,

men, pro bono tuo, velis tali uti exaltatione. Ad hoc autem, de quo locuti fuimus, incumbere deberent personæ illæ, quæ inquietæ, ac anxiæ sunt; nam viderent, quàm magna sit suiipsorum cæcitas; tanto enim cum proprio damno tempus terunt. Debet autem valdè hoc monitum notari, quia est una ex clavibus, quam habet anima ad magnos sibi thesauros spirituales reserandos, atque ad se, brevi temporis spatio, ditandam.



DE MENTALIBUS JESU CHRISTI DOLORIBUS.

PROEMIUM.

FUit quondam anima, quæ valdè pasci, ac saturari amantissimis cibis passionis amantissimi, atque dulcissimi JESU desiderabat. Hæc post multum temporis, atque ardentes preces, tandem in sacratissimum angustiati, divinique cordis sui Thalamum introducta est. Præcipuam hanc gratiam multoties obtinuit usque adeò, ut præ dolore, quem in se sentiebat, cogeretur aliquando dicere: *Non plus, mi Dominè, non plus: quia tantam pœnam sustinere non valeo.* Quas res indubitanter ego credo: cùm sciam, Dominum de suis

doloribus largum, atque benignissimum esse dispensatorem erga eos omnes, qui cum fide, ac perseverantia postulare eos sciunt. Dixit mihi benedicta hæc anima, quòd orando, dicebat Deo, magna cum anxietate: *O Domine mi, te rogo, in amarissimo mentalium tuorum dolorum mari mergas me; inter illos enim cupio mori, ô dulcis vita mea, ô amor meus! si ita tibi placeat. Dic mihi, ô JESU, dic ô spes animæ meæ, quàm magnus fuit dolor afflicti cordis tui?* Cui JESUS, utpote dulcissimus, respondere solebat: *Scis quàm magnus, quàm magnus fuit amor, quo Deum amavi, & creaturam.* Mihi insuper dixit hæc anima, quòd jam alio tempore capax reddita à Deo fuerat (quantum ipsi placuerat) amoris, quo creaturam diligebat: super hunc amorem multa mihi pulchra, ac devota narravit, quæ hic describere, nimis longa res esset. Verumtamen est, quòd (ubi Dominus eidem animæ dicebat, tam magnum fuisse dolorem, quàm magnus fuit amor, quo creaturam amavit) videbatur animæ, propter immensitatem amoris, cujus facta fuerat capax, sibi sensus omnes deficere, ac audito solo illo verbo, non poterat non reclinare in aliquo loco caput suum præ magna afflictione, quam in omnibus membris suis sustinebat. Postquam verò semel ita permansit, resumptus parumper viribus, ad Deum dixit: *Mi Deus,*

mi

mi JESU, unicum Bonum animæ meæ, flagito à te propter te ipsum, quæso ut dicas mihi, quàm magnæ fuerint pœnæ, quas in amabili corde tuo tolerâsti? Cui petitioni dulcissimè respondit benignissimus Dominus:

Primus dolor mentalis JESU Christi fuit propter animas sibi unitas, quæ damnandæ erant.

DIlecta anima, scito, quòd ultra tot meos dolores, quos modo prodere nolo tibi, infiniti illi fuerunt, quos sustinui in corde meo propter tot animas, ac membra mea, quæ ego cernebam à me, vero ipsorum Capite, separanda; toties autem quæcunque anima separari à me debebat, quoties peccatum mortale admissura erat. Hæc verò fuit una ex crudelioribus afflictionibus, quas ego intra cor meum perpessus sum. Cogita, quæso, anima mea, quòd si adeo immaniter dolet, qui ad torturam ponitur, cùm ei membra disjunguntur à loco suo naturali: quàm sævum martyrium meum fuerit; quoniam, tot membra à me separanda erant, quot animæ mihi nunc uniuntur, & imposterum damnabuntur; ego enim tot dolores patiebar, quot erant membra, quæ à me disjungenda erant.

Tantò verò dolorosior est separatio men-

membrorum spiritualium illa membrorum corporalium, quantò pretiosior est anima corpore; neque tu, neque ulla alia persona capere potest; ego siquidem solus animæ nobilitatem, corporisque vilitatem agnosco, sicuti ego solus effeci utrumque; quare neque tu, neque alia creatura percipere potest angustias crudelissimas, quæ causaverunt in me tot disjunctiones membrorum, quæ mihi tam chara sunt, adeoque conjuncta; & sicuti, in peccando, gravior est unus modus, quàm alius, & hoc peccatum illo enormius, ita in videndo varios modos, ac peccata, per quæ animæ separari à me debebant, ego quoque majorem, vel minorem pœnam sentiebam in me, à qua tum qualitas, tum quantitas tot dolorum, à quibus cruciabar, dependebat. Quia verò ego sciebam, peccantium voluntatem in æternum futuram fore perversam, ideoque æternis tormentis semper subjectam, hæc erat crudelior afflictio, quæ transfigebat cor meum, prædicta enim membra mea, tot scilicet animæ damnatæ, *Nunquam* in æternum uniendæ, & adjungendæ sunt Capiti suo.

Hoc verò, *Nunquam*, illud est, quod cruciat, & in æternum cruciabit infelices illas animas, plus quàm omnes aliæ pœnæ, quas habent, ac in æternum habebunt. Adeo autem me afflixit hæc pœna istius-

istius *Nunquam*, ut ego elegissem promptissimè, semel, & iterum pati omnes afflictiones, quas ego sustinui propter has omnes disjunctiones, atque separationes, omnibus modis, quibus contingere debebant non tantùm semel, sed sæpè; imò infinitis vicibus, dummodo unam solam animam (non dico omnes) inspexissem rursus uniendam, atque conjungendam fore integritati aliorum meorum vitalium membrorum; nempè charis, atque electis membris, quæ in æternum vivent ex spiritu vitæ procedentis à me, qui vitam unicuique rei (quæ vitam vivit) impertior.

Hic autem nota, quàm chara mihi sit anima una, cùm tibi dixerim, quòd pro una tantùm anima tot, ac reiteratas pœnas libenter passus fuissem, infinitis civibus, ut eandem mihi unirem, atque conjungerem. Itaque scito, quòd adeò affligit, torquetque tales animas, pœna istius *Nunquam*, pro divinæ meæ justitiæ satisfactione, ut ipsæ quoque millenas, imò infinitas pœnas tolerare vellent, dummodo spem aliquam istius conjunctionis haberent. Atque ita efficio in omnibus peccatis, ut qualitati, & quantitati afflictionum, quibus me excruciârunt animæ in separatione à meipso, qualitas, & quantitas supplicii correspondeat, & quia super omnia

 hoc,

hoc, *Nunquam*, me affligebat, ita efficio, ac volo, ut istud, *Nunquam*, cruciet, atque affligat eas animas super omnes pœnas, quas habent, ac in æternum habebunt.

Hîc verò cogita, & accuratè nota, quam magnum dolorem passus sim in corde meo pro tot animabus damnatis. Dicebat mihi benedicta hæc anima, quod nascebatur in ipsa sanctum desiderium (quod quidem oriri ob divinam inspirationem credebat) petendi à Domino hoc dubium, sed cum timore, ac reverentia, ne videretur investigare velle divinitatem. Quapropter summa cum simplicitate, puritate, & confidentia dicebat: O dulcis, & pretiose mi JESU, multoties referre, audivi, te damnatorum omnium pœnas in te pertulisse: vellem, mi Domine, si tibi placet, scire, an hoc verum sit, te scilicet diversitatem illam pœnarum perpessum esse, quæ in inferno reperiuntur: cujusmodi sunt, frigus, calor, comburi, & ab iisdem spiritibus infernalibus membra morderi, ac lacerari? Ad hæc benedictus JESUS gratiosissimè respondens ajebat, (animæque videbatur similem petitionem Deo non displicuisse) Dilecta anima, ac filia mea: Ego diversitatem pœnarum damnatorum non sum passus eo modo, quo tu à me requiris: quia omnes damnati futuri erant, membra mortua, ac à me separata. Ecce tibi exem-

exemplum: si manus, pes, aut aliud membrum tuum rescindendum esset, quousque manus, pes, vel illud membrum rescinderetur, & separaretur à te, magnam, atque inenarrabilem pœnam sustineres: sed, ubi manus, pes, aut membrum recisum esset, si aliquis in ignem illud projiceret, vel percuteret, aut canum & leonum dentibus exponeret, nullum tu, eo tempore, dolorem sentires, tanquam de membro putrido, & de mortuo, nec non omninò à corpore separato. Scis autem, quam pœnam eo tempore in te sentires; Non aliam, nisi, quòd illud fuerit membrum; valdè enim affligereris, ubi ipsum inspiceres devorari. Hoc modo prorsus animæ damnatæ, seu putrida membra mea me excruciârunt. Quousque adfuit spes vitæ, atque novæ unionis, imperceptibiles, atque infinitos dolores ego sustinui: imò etiam omnes animarum angustias, atque tormenta, quæ ipsæ animæ in vita sua usque ad mortem sui corporis pertulerunt; nam usque ad illam horam spes aderat novæ conjunctionis, si ipsæ voluissent: ac illud, quod post mortem debebant pati, in me non tuli: imò nullam ex pœnis ab iisdem toleratis post proprii corporis interitum passus fui, tanquam de membris mortuis, putridis, à me omninò separatis, & quæ nunquam, in æternum, vitam in me vivere de-

debebant. Equidem pro cruciatu gravissimo mihi erat intueri, tot fuisse vera membra mea mihi conjuncta, & jam rapi ab infernalibus spiritibus, atque ad infinitas flammas, æternosque cruciatus, condemnari debere. Istud autem est id, quod perpessus fui ex mentalibus doloribus pro damnatis, qui ante damnationem fuerunt membra mea.

Secundus dolor mentalis JESU Christi fuit propter peccata omnium electorum.

Dilecta anima, alius dolor, qui valdè afflixit animam meam, fuit ob peccata mortalia omnium electorum; omnibus namque modis, quibus dixi tibi, me afflictum fuisse ob membra damnatorum, similiter ob membra electorum, qui mortaliter erant peccaturi, amarissimè angustias passus fui, propter ipsorum scilicet separationem à me. Quàm verò magnus erat amor, quo in æternum eos amaturus eram: quàm vilis exiguitas, cui uniebantur, peccando mortaliter: quàm excellens vita, cui benè operando, uniendi erant, atque tam gravia, & deformia peccata, quæ separare ipsos à me debebant: tam acerba pariter erat passio mea propter tot dilecta mihi membra. In hoc tantùm differens fuit dolor,

lor, quem habui pro membris damnatis, ab illo, quem pro electis ſuſtinui, quòd pro damnatis, utpote ſejunctis membris, afflictus non fui propter pœnas illas tolerandas, poſt mortem; niſi, ut dixi tibi, ubi cogitabam, quòd fuerant membra mea: ſed pro electis pœnas omnes ſuſtinui; quas nedum in vita, verùm etiam poſt eorundem mortem paſſuri erant. Quare expertus ſum martyria omnium pœnitentium, tentationes omnium tentatorum, infirmitates omnium infirmorum, percuſſiones omnium percuſſorum, ignominias, peregrinationes, & quodlibet genus incommoditatum, quod ipſi perpeſſi ſunt, ac tandem quodcunque tormentum, parvum, & magnum, quod omnes viatores electi toleraverunt, adeò intensè in me ipſo habui, ſicut tu intensè experireris, & ſufferres, ſi tibi manus, pes, aut aliud membrum corporis graviter percuteretur. Puta igitur, quod fuerunt Martyres, & ſingillatim, quam pœnarum diverſitatem quilibet ipſorum paſſus eſt: ac demum, quàm variæ, & ſævæ omnes cæterorum electorum membrorum fuêre pœnæ. Ut meliùs autem has intelligas, benè conſidera, ſi tu mille oculos, mille manus, ac mille pedes haberes: imò mille ex quibuſcunque aliis membris, & in quolibet eorum diverſitates ſuppliciorum perferres, quæ ſupplicia ſimul in

uno essent momento, nonne hoc esset exquisitum, & nunquam auditum ac toleratum tormentum? Sed vide, dilecta mihi anima, quàm major in infinitum fuerit dolor meus! membra etenim mea non fuerunt mille, aut milliones: sed innumerabilia; sicut neque dolores mille tantùm fuerunt, sed absque numero; innumerabiles quippe fuerunt pœnæ electorum, ac sanctorum Martyrum, Confessorum, Virginum, omniumque aliorum dilectorum meorum. Sicut autem non potest intelligi, aut percipi, quæ, & quot sint beatitudines, gloriæ, ac prœmia parata justis, & electis in Paradiso, ita intelligi, vel percipi nequit, quæ, & quot fuerunt mentales pœnæ, quas pro membris electis ego pertuli: quibus pœnis oportet, ut, pro divina justitia, beatitudines, gloriæ, ac prœmia cælestia correspondeant. Ergo quoad dolores, qui propter electorum tormenta, ab ipsorum obitu me afflixerunt, scito, me perpessum fuisse omnes diversitates, qualitates, & quantitates pœnarum, quas ipsi pati debeant in Purgatorio, juxta majus, vel minus ipsorum meritum. Hoc autem evenit, quia ista non erant membra à me in æternum separanda, sicut damnati: sed membra vitalia, quæ erant in æternum habitura spiritum vitæ, cum eos ego prævenerim per gratiam, & benedictionem me-

am. Ex hoc percipere igitur potes, anima mea, causam, propter quam non me afflixerunt pœnæ damnatorum in inferno : etsi verè me afflixerint pœnæ Purgatorii, propter electos meos; sicuti enim cum dolore sentiretur quæcunque percussio, & laceratio unius membri à loco suo moti, ac fracti, adhuc viventis, atque à corpore non omninò disjuncti, donec repositum in loco suo, sanitati restitueretur; ita expertus in me fui tormenta omnia Purgatorii, quibus subjacere debeant omnia electa mea membra viventia; ut per illud supplicium perfectè mihi ipsorum Capiti denuò unirentur. Et scito, quòd nulla alia invenitur diversitas inter pœnas Inferorum, & Purgatorii, (loquendo de pœna sensûs) nisi, quòd pœnæ infernales nunquam cessabunt, pœnæ verò Purgatorii finem quandoque habebunt. Verum tamen est, quòd animæ, quæ in Purgatorio, pro aliquo tempore, plectuntur, quamvis eas tædeat, purgantur, ac in pace sustinent omnia, redduntque semper gratias mihi summæ justitiæ. Hoc autem dicere tibi volui circa pœnam mentalem, quam pro electis meis perpessus sum.

Utinam hîc recordarer piissimorum verborum, quæ ab hac anima audivi, dum cum fletu ab intimis emisso visceribus dixit mihi, se tantisper factam fuisse capa-

cem

cem, (eo modo, quo sponso suo placuerat ipsi ostendere) intelligendi, quàm magna sit gravitas, ac turpitudo peccati: nec non, quàm grave supplicium, & martyrium attulit amantissimo Deo suo, separando scilicet, ac disjungendo se ab eo, qui est summum Bonum, ut uniret, atque conjungeret se rebus tam humilibus, ac vilibus, sicuti sunt omnia istius mundi, quæ nobis peccandi materiam præstant. Recordor itidem, eandem animam cum multis, ac dulcibus lacrymis dixisse: *O mi Deus! ô me miseram! Nam magnam nimis, imò infinitam pœnam semper tibi attuli, sive damnata sive salva sum ego! ô Domine, verè nunquam percepi, quòd adeo graviter à peccato offendereris; nam si hoc ego scivissem, certissimè puto, quòd à me nunquam, vel leviter, offensus fuisses. Verùm, mi Deus, ne respicias ad id, quod dico: quia, hoc etiam præscito, pejùs me gererem, quàm priùs, nisi omnipotens, ac benignissima manus tua me adjuvaret. O Amator meus dulcissimus, & clementissimus, adeo crudeles, & tot sunt pœnæ istæ, ut mihi jam non Deus: sed potiùs (nisi, ita loquendo, te offendo) verus Infernus suppliciorum amoris videaris*: quo nomine hæc anima Deum sæpe vocabat sancta cum simplicitate, & compassione.

Tertius dolor mentalis JESU CHRISTI fuit sanctissimæ Virginis, ac Matris suæ causâ.

AUdi anima mea, siquidem mihi adhuc aliqua amarissima remanent dicenda tibi, & præcipuè de gladio illo, qui animam meam pertransivit: nempe de maximo dolore meæ puræ, atque innocentissimæ Matris, quæ propter passionem, ac mortem meam adeò affligi, ac torqueri debebat, ut nulla unquam, vel fuerit, vel futura sit persona magis afflicta, quàm ipsa; quare meritò in Paradiso ita eam evexi, atque glorificavi supra omnes creaturas, nedum humanas, sed & Angelicas; atque ita semper efficiam, ut, quò magis in terris creatura pro amore meo afflicta, humiliata, & in se ipsa exinanita fuerit, eò magis etiam postea à divina mea justitia præmietur, & extollatur in Cœlis. Ut verò nulla unquam fuit in terris persona magis angustiata, quàm dulcissima Mater mea, ita in Cœlis, nec est, nec erit unquam persona ei similis; nam sicut ipsa in terris, post me, magis omnibus afflicta est, ita & in cœlis, post me, est super omnes beatificata. Atque ideo scito, quòd omnibus modis, ac propter omnes causas, pro quibus ego DEUS humana carne indutus dolui, & tot supplicia toleravi; pro singulis pari-

pariter misera, atque sanctissima Mater mea doluit, & passa est; nec ulla differentia inter meos, ac ipsius dolores fuit, nisi, quo ego in gradu altiori ac perfectiori, quàm illa, perpessus fui. Me autem adeò dolor ejus afflixit, ut, si æterno meo Patri placuisset, mihi pro summa fuisset consolatione, omnes ipsius dolores in anima mea perferre, ne ipsa, vel paululum, pateretur. Unde mihi denuò renovari fuissent dolores omnes, quos in tota passione mea sustinui; imò alia vice iterata mihi fuissent vulnera mea à venenosa, atque acutissima sagitta; quod tamen pro refrigerio mihi summo contigisset; nam sic ipsa mea Mater absque ullo dolore vixisset; verùm, quia martyrium meum incomprehensibile, ac sine ulla consolatione futurum erat, concessa mihi non fuit prædicta gratia, quamvis de hac multoties, ob filialem teneritudinem, multis lachrymis æternum Patrem meum exoraverim.

Tunc temporis dicebat hæc anima, videri sibi cor deficere præ dolore gloriosissimæ Virginis Mariæ, nec non in quadam anxietate mentis morari, in qua nullum aliud verbum proferre poterat præter istud, *ô Mater DEI! ô Mater DEI!* nunquam imposterum Dei Matrem appellare te volo: sed Matrem doloris, Matrem pœnarum, atque afflictionum universarum, quæ pos-

sint

ſint à creata mente excogitari. Si enim Filius tuus eſt doloris abyſſus, quomodo aliter te vocabo, niſi Matrem doloris? Non ampliùs, mi Domine, non ampliùs de doloribus benedictæ Matris tuæ loquaris mecum; nam plus me adhuc tolerare poſſe ſentio. Hoc mihi ſatis erit, quouſque vixero, quamvis viverem mille annos.

Quartus dolor mentalis JESU Chriſti fuit pro amantiſſima Diſcipula ſua Maria Magdalena.

HIC ipſe Deus de ſupradicta materia ſilens, animam ita afflictam inſpiciens, dicere incœpit: Sed quem dolorem putas, ô dilecta anima! me pertuliſſe pro maxima pœna, ac afflictione amatæ, & benedictæ diſcipulæ, imò chariſſimæ filiæ meæ Mariæ Magdalenæ? Neque tu, neque alia perſona hoc benè capere poſſet, tum ob perfectionem mei, qui ejus ſum Præceptor amantiſſimus, tum ob dilectionem, atque bonitatem ejuſdem meæ diſcipulæ, quæ comprehendi ab aliis non poteſt, quàm à me. Aliquid de re iſta ille poſſet percipere, qui expertus fuiſſet, atque caſtum, & ſpiritualem amorem libâſſet, tum in amare, cùm in amari. Sed ullus talis inveniri non poteſt; ſicut enim talis præceptor non reperitur, ita neque talis diſci-

discipula; quoniam nulla alia Magdalena, præter hanc solam, in terris fuit, vel erit. Dicat, quidquid sibi libeat, quicunque: Excepta Matre mea sanctissima, nulla fuit, quæ magis de morte, ac passione mea doluit, quàm Magdalena. Quare sicut, post benedictum meam Matrem, Magdalena pro morte mea magis omnibus afflicta est, ita in mea resurrectione, post dulcissimam Matrem meam, prima fuit, quæ reciperet consolationem. Si verò alia persona magis doluisset, quàm ipsa, illi, & non Magdalenæ priùs apparuissem. In dulci quiete, quam dulcissimus discipulus meus Joannes habuit in amara Cœna supra sacratissimum pectus meum, ipsum profundissimorum, Mysteriorum capacem reddidi; ibi enim resurrectionem, nec non animarum fructum amplissimum meæ passionis, ac mortis vidit; licèt tamen amatus hic filius meus Joannes majorem passus fuerit dolorem, quàm cæteri mei discipuli, nihilominùs, ne credas, quòd, propter id, quod ipse sciebat, amantissimæ Magdalenæ antecesserit, quæ tunc capax non erat altarum adeò, atque profundarum rerum, sicut Joannes, qui, etiamsi potuisset, meam passionem, ac mortem non impedivisset propter tantùm bonum, quod ex ea erat subsecuturum: sed de dilecta mea Magdalena non sic erat; quia, cùm me in

Cruce

Cruce mortuum inspexit, visum statim est illi, non solùm terram, sed Cœlum ipsum sibi defecisse; siquidem in me solo totus ejus amor, tota ejus pax, ac consolatio residebat; sicut autem absque ordine, & mensura me diligebat, ita per consequens etiam ejus dolor fuit absque ordine, & mensura, ipsúmque solus ego agnovi, tuli, ac toleravi amantissimè intra animam meam; Quamobrem propter Magdalenam sustinui omnes illas teneritudines, quæ sustineri possunt ob sanctum, castum, atque spiritualem amorem, quippe quòd intensissimè, atque toto ex corde ab illa amabar. Ut verò meliùs hoc intelligas, scito, Discipulos meos post meam mortem, utpotè non adhuc omninò ab omnibus rebus terrenis alienatos, (sicut erat sancta ista peccatrix) ad relicta retia reversos fuisse: quod ab ipsa factum non est: quia ipsa ad vitam suam superbam non ampliùs rediit; imò tota ardens, ac ob sanctum desiderium exusta, utpote nullam spem habebat me vivum imposterum videndi, anxiè me mortuum quærebat, sciens, quòd nulla alia re delectari, & frui poterat, quàm me dilecto ipsius præceptore, sive vivus, sive mortuus fuissem. Quòd verò hoc verum sit, considera, quòd ipsa, ut reperiret me mortuum, vivam societatem, ac præsentiam reliquit sanctissimæ, ac dulcissimæ Matris meæ,

qua

qua deſiderabilior, amabilior, ac delectabilior poſt me, inveniri non poteſt. Tum viſio, ac dulcia Angelorum colloquia, quid aliud illi viſa fuerunt quàm purum nihil? Quod verò de Magdalena dico, de quacunque anima intellige: quæ ubi affectuosè, & verè me amat, ac deſiderat, in nulla alia viſione, & præſentia requieſcit, niſi in me ſuo ſolo, atque dilecto Domino. Tu, anima mihi chara, nunquam cogitare poſſes, quàm magnus, & abſque menſura amaræ hujus meæ Diſcipulæ eſſet dolor: qui, utpote totus in meum afflictum cor reverberabat, ego pro illa ſupra modum anguſtiatus fui. Cecidiſſet Maria Magdalena præ magno dolore multoties; imò certè mortua fuiſſet: ſed hoc ego non permiſi, cupiens ipſam in aliis rebus neceſſariis adhibere; illa enim fuit Apoſtolorum Apoſtola, quæ annunciavit, & evangelizavit ipſis veritatem Reſurrectionis meæ: ſicut ipſi Apoſtoli dein fecerunt univerſo mundo. Fuit itidem lucidum ſpeculum; vivumque exemplum veræ converſionis, & pœnitentiæ; præterquam quòd volui, ut regula, atque exemplar foret totius beatiſſimæ vitæ contemplativæ; in ſolitudine quippe triginta tres annos incognita mortalibus delituit, atque in ea intimos affectus, & amoris effectus deguſtavit, quantum in vita iſta miſerabili guſtari, atque ſentiri permittitur.

Quin-

Quintus dolor mentalis JESU Christi fuit propter amatos sibi, charosque Discipulos, atque Apostolos.

ALius dolor, qui feriebat animam meam, erat fixa memoria Collegii Apostolorum, cœli columnarum, fundamentorum meæ militantis Ecclesiæ: oviumque mearum, quas absque pastore dispersas ituras esse videbam: sciebamque omnes pœnas, atque martyria, quæ pati pro me debebant. Nunquam enim inventus fuit præceptor aliquis, qui adeo ex corde discipulos suos amaret, sicut ego meos dilectissimos filios, fratres, discipulos, & Apostolos diligebam; & quamvis ego creaturas omnes semper infinito amaverim amore, nihilominùs erga illos, quos corporaliter agnovi, peculiaris (ut cogitare potes, anima dilecta) fuit amor meus. Atque ideo particularem expertus fui dolorem pro ipsis in afflicta anima mea: ac pro iisdem magis, quàm pro me amarum illud protuli verbum: *Tristis est anima mea usque ad mortem*, præ magna teneritudine, quam sentiebam in me, quòd derelinquendi erant soli sine Me ipsorum Pastore, atque fideli Magistro: quæ angustiæ tales pro me erant, ut altera ferè mors mihi videretur corporalis separatio ab ipsis. Quapropter, qui benè consideraret verba

postremi sermonis, quem feci, duri adeò certè non esset cordis, ut non fleret; quoniam omnia illa dolorifica verba exibant ab intimo cordis mei, quod discindi mihi intra pectus videbatur præ ipsorum amore. Tum intuebar, pro nomine meo aliquem crucifigendum esse, aliquem dilacerandum, alicui caput amputandum, omnesque per varia martyria pro amore meo interimendus. Quare, quàm gravis mihi hæc pœna fuerit, saltem quoad partem, ex te sola, ô anima mea, agnoscere potes, considerando scilicet, quàm intensè doleres, si aliqua persona, quam sancto amore diligeres, & cui propter te ipsam cuperes omnem pacem, atque consolationem, vel factis; vel verbis malè acciperetur. Verùm ego ipse, ô anima mea, causa fui, cur isti omnia supplicia, & pœnas tolerarent, nec non, ut quilibet ex iisdem adeo atrociter affigeretur. Quare doloris, quem pro ipsis sustinui, nullam tibi similitudinem asserere possum. Hoc tibi sufficiat, si compati mihi cupis.

Sextus dolor mentalis JESU Christi fuit propter ingratitudinem amati ejus Discipuli. Judæ proditoris.

ALius dolor internus me excruciabat, & sicut gladius tribus venenosis, atque

que acutiſſimis cuſpidibus ſagittabat, transfigebat, percutiebatque afflictum cor meum; hoc autem fuit ob impietatem, atque ingratitudinem dilecti mihi diſcipuli Judæ, iniqui ac peſſimi proditoris: nec non ob duritiam, perverſitatem, atque ingratitudinem electi, multumque à me dilecti Judaici populi: tum ob cæcitatem, malignitatem, ingratitudinemque creaturarum omnium, quæ fuerunt, ſunt, & erunt: ſed de his in duobus ſequentibus Capitulis. Modò verò conſidera, quàm magna fuit Judæ ingratitudo; illum enim in Apoſtolorum numerum acceptavi: omnia ſua peccata ei remiſi: miraculorum operatorem, & cujuſcunque rei mihi traditæ diſpenſatorem, eundem effeci: ac ſemper præcipua amoris ſigna illi oſtendi, ut ipſum à concepta ſua iniquitate removerem. Sed, quò magis illi me amantem patefaciebam, eò magis ipſe malignitates contra me machinabatur. Qua cum amaritudine hæc omnia putas, ô anima mihi chara! me revolviſſe in afflicto corde meo? Imò multa alia, quæ tibi modò non pando; ſed, cùm humilem; dignumque compaſſione exercui actum lotionis pedum, tum ipſius, cum ſociorum ejus, tunc cor meum in lacrymas amantiſſimas liquiefiebat. Et verè ab oculis meis vivarum lacrymarum fontes ſupra immundos, & con-

ſpurcatos pedes ejus fluebant; dicebam enim in corde meo: O Judas, quid tibi feci, pro quo adeò crudeliter tradas Me! O infelicem diſcipulum! forſan maximum amoris ſignum non eſt illud, quod oſtendo tibi? O filium perditionis! Quare ſic diſcedis à Patre tuo? à Magiſtro tuo? O ingratum Diſcipulum! Ego cum tanto amore oſculor pedes tuos, & tu cum tanto odio, & proditione oſculaberis os meum? O quam malum mutuum reddes mihi! perditionem tuam, chare & dilecte mi fili, non mortem, & paſſionem meam illacrymor; quippe qui nulla alia de cauſa veni in mundum; quàm ut paterer, & morerer pro dilectis animabus meis. Hæc, atque alia hujuſmodi verba dicebat cor meum Judæ, madefaciendo, & irrigando, uno tempore, abundantiſſimis lacrymis pedes ejus: verùm ad hæc ipſe non advertebat: ſiquidem genuflexus ante ipſum, inclinato capite jacebam, ſicut eſſe ſolet, qui altetius pedes lavat: præterquam quòd à multitudine capillorum meorum longiſſimorum operiebatur madida, atque lacrymoſa facies mea. Amarus verò meus planctus, qui ob magnam amoris teneritudinem profluebat à me, ſimilis prorſus fuit fletui patris, unicum habentis filium, qui moriturus aliquid bonum præſtat, ac poſtea hæc cum eo loquitur intra cor ſuum:

Deus

Deus te salvet, fili: hoc enim est ultimum servitium, quod præstabo tibi: Sic dixi, ac feci ego Judæ, cùm lavi, osculatus fui, atque maximo cum affectu admovi, & strinxi sacratissimo vultui meo ipsius pedes. Quæ videntes cæteri Apostoli mœsti dicere videbantur: O JESU! Præceptor noster charissime, perfectissimum verè exemplum profundissimæ humilitatis, & charitatis ferventissimæ relinquis nobis: sed nos miseri quid faciemus absque te, qui es totum nostrum Bonum; Quid afflictissima faciet Mater tua, cùm illi tantam tuam recensebimus humilitatem? nempè te immundos pedes, lutoque, ac pulvere plenos lavisse nobis: ac tandem ore tuo dulcissimo, atque mellifluo osculatum eos fuisse. O Domine, Deus noster, hæc tua amoris signa, certa, & indubitata signa nobis sunt majoris doloris, & pœnæ! Prædictas res tecum locutus fui, anima mea, ut aliquam tibi notitiam traderem cordatissimi doloris, quem passus fui, propter impietatem, & ingratitudinem Judæ proditoris mei: cui: quò amorem majorem ostendi, & manifestiora dilectionis signa, eò magis pessima ejus ingratitudo afflixit, atque excruciavit me.

Septimus dolor mentalis JESU CHRISTI fuit propter ingratitudinem Judaici populi.

JUdaicus populus ingratus, & obstinatus, ô quantum me transfixit, punxitque sagitta, inenarrabilis ingratitudinis suæ! Cogita, quæso, anima mea, quàm fuit ingratus! Illum, populum sanctum, atque Sacerdotalem ad partem, & hæreditatem meam ego constitui: supra cæteros omnes alios terræ populos elegi ipsum: ab Ægypti servitute, & Pharaonis manibus eripui, siccisque pedibus per medium rubri maris deduxi eum: nubes, & columna, in die per umbram, & in nocte per lucem ei fui: manna quadraginta annos illum nutrivi: proprio ore meo legem ei tradidi in monte Sinai: tot victorias contra ipsius inimicos pro ipsomet retuli: humanam carnem ab eo habui, totoque vitæ meæ tempore cum illo versatus fui: Cœli viam ei ostendi, & tot, tantaque beneficia, ac gratias eidem feci: cæcos ejus illuminavi, surdos ejusdem feci audire, claudos discurrere, mutos loqui, mortuos vivere: & demum infinita, atque stupenda semper apud ipsum miracula operatus fui: Ergo, cùm intellexi inter cætera, quòd tanto cum furore, & rabie exclamabat, Barrabam hominem scelestissimum liberari, & me terræ, Cœlique Do-

Dominum cruci affigi, ac patibulo tolli, tunc afflictum cor meum præ dolore defecisse visum est mihi. Hoc autem ignorat, dilecta anima, quisquis expertus adhuc non est, quinam sit dolor, aliquem omne genus malorum sustinere ab eo, cui omne genus bonorum à seipso collatum est; & quàm dura res sit, innocentem audire contra se ab omni populo clamari: *Tolle, tolle, Crucifige, crucifige*: pro illo verò, qui talem pœnam habere deberet, imò mille interitus mereretur, audire vociferari: *Vivat, vivat: Liberetur liberetur*. Hæc res sunt, quæ plùs mente consideranda, atque intimè penetranda sunt, quàm exprimenda verbis.

Octavus dolor mentalis JESU Christi fuit propter ingratitudinem omnium creaturarum.

EAdem anima, cùm esset à Christo, justitiæ Sole, illuminata, dixit mihi, quòd pro gratiarum actione, pro se, ac pro omnibus creaturis tantam tunc sentiebat in se humilitatem, ut verè confiteretur Deo, ac toti cœlesti Curiæ, se altiora beneficia, ac dona accepisse à Domino, quàm ipsum Judam: imò se solam, in majori longè numero, & magnitudine in se ipsa habuisse favores, & gratias à Deo, quàm totum illum amatum populum simul; &

tamen acerbiùs, ac magis protervè Deum à se crucifixum fuisse, quàm fuerit ab ingrato eo populo crucifixus. Cum qua sancta consideratione totam pedibus damnatorum, & maledicti Judæ se submittebat: atque ex profundissimo eo loco voces, clamores, ac planctus ad amatum suum, injuriisque affectum Deum mittebat, dicens: Benignissime mi Domine, quomodo possum gratias tibi reddere, quòd toleres me, si millies, ac millies iniquiùs Juda tecum me gessi? Tu Judam Discipulum tuum effecisti: sed me etiam talem; illi ignovisti peccata: mihi quoque ob maximam tuam gratiam, & misericordiam, te ignovisse confido; Illi rerum temporalium dispensationem dedisti: mihi verò tot, ac tanta dona, & gratias spiritualium thesaurorum largitus es. Illi, ut patraret miracula, donâsti gratiam: mihi plusquam miracula efficere concessisti: cùm me voluntariè in locum, atque habitum religiosum deduxeris, in quo sum: O mi JESU, te vendidi, ac tradidi, non semel, ut ille: sed millies, & sæpissime. O mi Deus: tu benè hoc scis, quòd impudentiùs, quàm Judas per osculum Te tradiderim: cùm adhuc sub specie etiam spiritualitatis reliqui te: atque ad mortis vincula me approximavi. Quòd si tantum te afflixit ingratitudo illius populi, quantum à mea afflictum te fuisse ingrati-

tudine

tudine putandum est? quoniam pejor, quàm ipsum tecum fui, eo quod majora beneficia, & gratias habuerim, quàm ipse à te obtinuerit, ô verum Bonum! O dulcissime mi Domine! ex toto corde gratias tibi ego rependo, quòd ab Ægyptiaca servitute mundi, & peccatorum, nec non à manibus crudelis Pharaonis me subtraxeris, nempè ab infernali dæmone, qui pro voluntate sua miseriæ mihi animæ dominabatur: quòdque me deduxeris, DEUS, per medium aquarum maris vanitatis mundanæ, siccis pedibus, ita ut, mediante gratiâ tuâ, ad solitudinem sanctæ Religionis transiverim, in quà sæpè, imò sæpissimè dulcissimo, ac sapidissimo, mannâ tuo cibâsti me: quod manna omnem saporem taliter in se habuit, ut omnia delectamenta terrena fastidiverim, ubi respiciebam ad aliquam, etiam minimam, ex consolationibus tuis. Gratias ago tibi Domine, ac Pater mi benignissime, quòd legem mihi dederis pluries ex sanctissimo ore tuo, in monte Sinai sanctæ orationis, scriptam digito misericordiæ tuæ in tabulis lapideis cordis meis durissimi, & rebellis. Gratias tibi ago, Redemptor mi benignissime, pro auxilio mihi præstito contra omnes meos inimicos, & capitalia vitia; quoties enim vici, à te provenit victoria mea; quoties verò perdidi, ac perdo, propter mali-

gnitatem meam, exiguitatemque amoris mei erga te, ô desiderande mi Domine, ortum est. Tu, mi Deus, mediante gratia tua in anima mea natus es, mihique viam, & veritatis lucem ostendisti, ut à tenebris, & obscuritatibus infelicissimi hujus mundi venirem ad te Paradisum, & lumen verum. Tu mihi visum dedisti: tu auditum: tu loqui: tu ambulare: verè enim cæcus eram; surdus, mutus, ac claudus in rebus spiritualibus: quin insuper me resuscitâsti in te, vita vera, quæ rebus omnibus viventibus vitam donas. Sed mi DEUS, mi Redemptor: quis te in Cruce suffixit? Ego. Quis te alligatum ad columnam verberavit? Ego. Quis te spineâ coronâ circumdedit? Ego. Quis te felle, & aceto potavit? Semper Ego. Itaque per ista discurrens multis cum lacrymis juxta benignitatem Domini sibi concessis, concludens anima ajebat: mi Domine! scirene cupis, cur dicam, me talia contra te effecisse? Quia lumen aspexi in tuo lumine. Quare benè scio, te magis afflictum fuisse à peccatis meis mortalibus, quam afflictus fueris tunc ab hominibus illis, qui tanta cum ignominia, ac rabie corpus tuum sacratissimum dilaniârunt. Quamobrem non opus est, ut mihi ampliùs dicas maximum dolorem, quem à gentium, atque omnium creaturarum ingratitudine perpessus es;

post-

postquam namque gratiam mihi donâsti agnoscendi; aliqua saltem ex parte, magnam ingratitudinem meam, nunc quoque considero ob tuam peculiarem illustrationem, ac gratiam, illud, quod machinatæ fuerunt adversus te: atque in hac consideratione deficit spiritus meus: & obstupesco, mi JESU, propter tantam charitatem, & patientiam tuam supra nos ingratissimas creaturas tuas; quippe quod neque propter prædicta omnia unquam desistis nobis succurrere in omnibus nostris, tum spiritualibus, tum corporalibus egestatibus. Sicut autem, mi Deus, sciri non possunt res innumerabiles, quas pro nobis, indignissimis tuis creaturis, in Cœlo, in terris, in aquis, & in elementis creâsti, ita agnosci non potest, & comprehendi inenarrabilis nostra ingratitudo. Quapropter confiteor, mi Domine, & credo, te solùm scire posse, quanta, & qualis fuerit amarissima illa sagitta, quæ tam barbarè cor tuum pertransivit propter ingratitudinem tot creaturarum, quæ sunt, fuerunt, & erunt; quam veritatem ego agnosco, & confiteor non solùm pro me, verùm & pro cæteris omnibus creaturis: quòd sicuti nullus præterit mensis, dies, hora vel momentum, in quo beneficia tua, & gratias non participemus: ita neque unum momentum temporis excurrat absque infi-

nitis ingratitudinis nostris. Hocque credo, agnosco, & confiteor fuisse unum ex acerbioribus doloribus, ac pœnis sanctissimæ, afflictissimæque animæ meæ.



DE MODO JUVANDI ET CONSOLANDI cujuscunque generis INFIRMOS, Ad benè moriendum.

Infirmus eram, & visitâstis me, Matt. 25.

CAPUT I.

Quàm magnum, & laudabile sit opus juvandi infirmos.

MAnifesta res est, certam hominis salutem non in vita, sed in morte consistere; in quem locum enim arbor ceciderit, ibi semper erit; ex quo consequitur, opus juvandi infirmos ad benè moriendum esse opus maximæ charitatis; & verè opus istud majus est, quàm multi credant; quia si consideratur homo, qui salvari debet, agnoscimus inæsti-

æstimabilis ipsum esse valoris, cùm creatus sit ad imaginem, & similitudinem altissimæ Trinitatis; & si dein cogitationem convertimus ad operationes, quas Dei Filius fecit propter hominis salvationem, quis capere unquam poterit æstimationem, & magnitudinem salutis ejusdem hominis? Si demum consideratur principalis finis humanæ salutis nostræ, ineffabilis adhuc remanet in magnitudine sua, cùm sit gloria ejusdem Dei.

CAPUT II.

De considerationibus peragendis, cùm adjuvandos Infirmos vocamur.

UT meliùs ad charitatem excitemur, cùm ad infirmos vocamur, præter prædictas considerationes, res sequentes meditari debemus:

Primò, nos non vocari ab hoc; vel ab illo, sed ab eo, qui pro nostro exemplo Filium suum dat nobis: quem è Cælo in terram misit ad salvandum mundum; ubi considerabis, quomodo indefessè laboraverit pro re ista; non enim curavit frigus calorem, famem, sitim, aut ullam aliam pœnam; quinimò neque ipsam Crucis mortem. Itaque, nisi volueris, Dominum tuum contristare, adverte, ne tale opus recuses propter rem aliquam, non ob la-

borem, non ob lassitudinem, non ob tuam commoditatem, non ob quamcunque aliam incommoditatem, quam opus sit in infirmorum domiciliis sentire.

Secundò, considera dictum illud Domini nostri: *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*

CAPUT III.

De præcipuis mediis, quæ nos ad Infirmos juvandos fortes reddunt.

Si non cupimus bene exercere sanctum hoc opus auxiliandi illis, qui stant prope mortem, quinque rebus indigemus:

Primò. Vitâ bonâ.

Secundò. Diffidentia nostri met ipsorum.

Tertiò. Confidentiâ in Deum:

Quartò. Oratione:

Quintò. Modo ipsos benè juvandi.

De primis quatuor in hoc brevi Tractatu non loquor, cùm de illis in Certamine Spirituali satis differuerim; solùm igitur hic loquar de quinta re, auxiliante divinâ gratiâ, & quidem cum magis possibili brevitate.



CA-

CAPUT IV.

De statibus, in quibus esse possunt infirmi.

QUinque mihi videntur esse status: in quibus solent infirmi inveniri.

Primus est, illorum, qui ob casus, vulnera, vel varios alios eventus coguntur intra tempus brevissimum mori.

Secundus illorum, quibus longius temporis spatium conceditur, & ut plurimùm, nollent se conformare voluntati divinæ.

Tertius eorum est, qui itidem aliquo tempore haud carent: conformes sunt voluntati divinæ: & exercere possunt suas animi potentias in efficiendis virtutum actibus.

Quartus de iis est, qui parum, aut nihil ampliùs sentiunt; vel valdè difficulter aliquem virtutis actum elicere queunt.

Quintus tandem de illis est, qui jam extra mortis periculum quotidie ad melius, atque ad corporalem sanitatem gradum faciunt; seu de convalescentibus.

CAPUT V.

De modo auxiliandi infirmis primi status, nempe illis, quibus brevissimum vitæ spatium conceditur.

MOdus auxiliandi infirmis, qui proximè invaduntur à morte, est, ut visâ mali

mali gravitate, si hoc mediam horam vitæ nobis promittit; eam medium tantùm quadrantem esse putemus; quare auxilium præstandum à rebus principalioribus, magisque saluti necessariis initium sumet; quia, si vita erit longior, incumbendi postea ad reliqua dabitur locus; exempli causâ: ubi comperimus aliquem morti jam proximum, auxilium tunc erit, ipsi dicere: Doleas, fili mi, te offendisse variis modis, & quidem sæpissimè, Deum tuum: qui cum tanto amore creavit te ad imaginem, & similitudinem suam: imò cùm jam in perditionem ivisses, redemit te pretioso sanguine, ac morte Filii sui. Petas ergò instanter, & cum confidentia veniam peccatorum tuorum in nomine Filii DEI, ac in virtute sanguinis, quem effudit ille pro te. Quòd si aliquis, fili mi, te offendit, ipsi ex toto corde ignoscas, & dicas: *JESU Salvator mundi miserere mei: JESU dulcissime, sis mihi JESUS: JESU pastor bone suscipe spiritum meum: Sancta Maria, succurre mihi misero peccatori: Sancti DEI omnes intercedere dignemini pro mea salute.* Si verò majus vitæ superrerit tempus, dicetur ægro, ut hoc modo confiteatur peccata sua: Doleo, me peccâsse contra tale, & tale præceptum, sæpè, vel sæpius, ita tamen, ut semper ad se expediendum incumbat, quàm citiùs potest; quòd si ab infirmitate promitti majùs tempus

pus videatur, de numero, magisque necessariis peccatorum circumstantiis interrogabitur æger; hoc quippe modo, & hac prudentia procedendo, absque sufficienti ad salutem auxilio è vivis non decedet infirmus.

CAPUT VI.

De modo juvandi infirmos secundi status, scilicet eos, quibus majus tempus ad mortem datur, &, ut plurimum, conformare se nollent voluntati divinæ.

CUM auxilium infirmorum secundi status (illorum nempe, quibus majus tempus ad mortem datur, &, ut plurimum, conformare se nollent voluntati Divinæ) consistat in benè illos præparando ad Sacramenta suscipienda: ad vitæ hujus odium: ad amorem à terrenis eradicandum: necnon ad illos instruendos, solidandosque contra tentationes, quæ ipsos à morte retrahunt, & sub fallacibus titulis, juventutis, dignitatum, filiorum, timoris peccatorum commissorum, & judicii DEI, eò quòd pœnitentiam de suis erroribus non emiserint, ac bono proprio rectè, in tempore, non consuluerint; ideo singillatim de his omnibus in sequentibus Capitulis tractandum est; sicut & de causis, propter quas Confessio in ægritudine protra-

tra-

trahitur; & de duobus universalioribus mediis, ut infirmus ad mortem libenter subeundam inducatur.

CAPUT VII.

De prima imagine ærumnarum vitæ humanæ ad infirmorum secundi status juvamen conferente.

UBI ad juvandos infirmos secundi status vocamur, debemus, antequam ad ipsorum cubiculum proveniamus, cum dexteritate, & modo inquirere ab ipsorum cognatis, vel notis de eorundem moribus, & qualitatibus, (si eos nos non agnoscamus) nec non de ipsorum vita: quia ex hac cognitione pandetur nobis via illos valde juvandi, atque ad virtutes reducendi. Ingressi postea unius infirmi cubiculum, ubi diximus, *Pax huic domui*, ab infirmo de ipsius infirmitatis qualitate petemus: & quomodo se gerat, ostendendo ei semper, tum verbis, tum vultu, impensissimum affectum amoris, compassionis, atque desiderii de bono ejus: perseverantes deinde pró aliquo exiguo tempore velut cogitabundi, subsequentem dicemus sententiam ea voce, & modo, qui infirmi ægritudini conveniat: *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & jugum grave super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepul-*

sepulturæ in matrem omnium, Eccles. 40. Hæc sententia, ac verba sunt, fili mi N. vera, & naturalis imago miseriæ hominis vitæ: omnium hominum experientia rem istam confirmat: sed, quod magis refert, hanc imaginem effecit Spiritus sanctus, qui errare non potest, aut quenquam decipere; hanc inspiciamus igitur omnes: hanc sæpe respiciamus, quia admirabiles valde sunt fructus ejus, nempe contemptus istius vitæ mortalis, & desiderium cœlestis, quæ nunquam deficit, & nullam, vel minimam, miseriæ umbram admittit. Non satis tamen fuit Spiritui sancto dixisse: *Occupatio, & jugum*: sed subjunxit, *magna*, & *grave*: neque contentus fuit addidisse, *hominibus*: sed subdidit, *omnibus*; ac tandem postquam ait: *A die exitus de ventre matris eorum*, subtexuit, *usque in diem sepulturæ in matrem omnium*. Nonne tibi ergo videtur, N. fili mi dilectissime, felicem nos vocare posse illum hominem, qui sit proximus morti; vel, ut clariori, & magis proprio loquar sermone, qui alteri vitæ sit prope? Iste etenim majora ostendit signa citò relinquendi præsentis vitæ ærumnas, quæ ut plurimum, esse solent infirmitates: quare nonne feliciores vocandi sunt mortui, quàm vivi? Ut ait Sapiens Eccl. 7. *Melior est dies mortis die nativitatis*.

CAPUT VIII.

De secunda imagine miseræ hominis vitæ, in auxilium item infirmorum secundi status depicta.

UNO in loco inter cæteros alios innumeros nostris exhibet oculis sacra Scriptura imaginem miseræ hominis vitæ, dicens: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis*: ô vita hominis ter, & quater misera, ac miserabilissima! si miseriis plena es, quinam remanet locus pro aliqua exigua consolatione, quæ vera sit, & non fallax? ô infelicissima vita! verè non solùm plena est uno miseriarum genere, sed multis: quorum quodlibet reliquis aliis pejus est. Neque eo, quòd aliqua miseria finem habeat, altera non sequitur, quin etiam duæ, & plures simul. Ad has miserias cogitabat Philosophus ille; qui, quoties aliquem hominem videbat, amarissimè lacrymabatur; videbatur enim sibi videre vas equidem pulchrum, sed mille miseriis, & innumerabilibus infortuniis, ac casibus subjectum. Ad hoc respiciebat populus ille, qui hominis nativitatem lugebat, ejusdem morte lætebatur. Amarissima esca procul dubio est intuitus prædictarum duarum imaginum: sed illi, qui sanum palatum, mentemque habet, dulce est, quod sequitur: *Brevi vivens tempore*

pore: quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra. Hoc boni habet misera vita nostra, quòd brevis est; quia considerans Christianus homo, quòd brevì à miseriis istis ascendere debeat ad Cœli beatitudinem, atque ad gaudium Domini sui, non potest non gaudere, & patienti animo tolerare quamcunque miseriam, vel in pœnam peccatorum suorum, vel ob beneplacitum DEI sui. Ita dulcis est consideratio brevitatis vitæ nostræ, ut non tantùm fidelibus, verùm etiam infidelibus mors fuerit chara; & quidem adeò, ut multi se occiderint propriis manibus, cupientes, ut miseriæ citò finirentur. Scribit Valerius Maximus de quodam Philosopho, qui ita ad vivum narrabat, & præsentabat vitæ hujus calamitates, ut in multis pepererit desiderium mortem sibi intentandi; quare Rex Ptolomæus vetuit, ne de re illa ampliùs loqueretur. Isti verò, qui se volebant occidere, ut exirent à miseriis istius vitæ, erant Pagani: non autem, qui, Dei gratiâ, Christiani sumus, & aliam vitam credimus, non miseriis plenam, sed bonis, quæ nec oculus unquam vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descenderunt, insensati sicerimus, atque in luto cæcarum passionum, ac vitiorum nostrorum immersi: ut nolimus, volente DEO, transire à miseriis ad felicitates, quæ nullum finem

cogno-

cognoscunt? Ergo renuemus audire cum gratiarum actione vocem divini nostri Pastoris, qui ab hac terra lupis rapacibus plena ad cœleste Ovile nos vocat?

CAPUT IX.

De tertia imagine vitæ humanæ, pariformiter pro utilitate infirmorum secundi status delineata.

JAm inspexisti, fili, & consideraſti in duabus præcedentibus imaginibus miserias humanæ vitæ: modò mentis oculos converte ad hanc tertiam, à qua reliquæ duæ ortum traxerunt: ecce, hîc adest: ipsam, quoties tibi lubet, inspicias; eam enim semper amaram esse comperies:

Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos; in dolore paries filios, & sub potestate viri eris, & ipse dominabitur tui. Adæ verò dixit: Quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti lignum, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ; spinas, & tribulos germinabit tibi: & comedes herbas terræ; in sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Neque aliquis putet, hanc esse imagi-

imaginem solùm vitæ hominum miserorum, quia est universalis, & comprehendit omnes, sive pauperes sint, sive divites, sive nobiles, sive ignobiles, sive Principes, sive Reges, sive Imperatores, sive Pontifices; desudant siquidem isti, & majores patiuntur afflictiones, atque angustias in mentibus suis, quam pauperes perferant in corpore simul & mente.

Pro ultima autem imagine sit forma nostri corporis, quòd, cùm in Crucis modum sit factum, optimè nobis declarat, humanam vitam perpetuam esse tribulationem, atque dolorem. Qui in Cruce est, excrucietur oportet: ergo, dum anima nostra in mortali nostro corpore residet, aut velit, aut nolit, opus est, ut tormenta sustineat. Ex omnibus, quæ hucusque dicta sunt, manifestè apparet, hominis vitam non solùm miserabilem, sed miserabilissimam esse, nullamque reperiri potentiam, aut artem hominis, qua tanta miseria tolli ab ea possit. Sola mors illa est, quæ libenter acceptata (cùm Deus nobis eam immittit) nos liberat, atque eripit à quacunque miseria; illis autem, qui afferunt, se vitam invenisse dulcem, ac delectabilem: atque ideo sibi ipsis durum esse asserunt illam relinquere: illis inquam respondere poterimus; iisdem prorsus ea contingere, quæ infirmis evenire solent; illi enim, quia cor-

rup-

ruptum habent palatum, dulce pro amaro sentiunt, & cibos bonos pro malis, malosque pro bonis judicant; quare, ut veritatis capaces fiant, hæc ad illos dici possunt.

Primò. Nisi intellectum, ob vitam in malo habituatam, ac tot inordinatis passionibus, motibusque subjectam obcæcatum haberent, isthæc non dicerent. Tum, nisi intellectu carerent apto ad considerandum, & segregandum, ex una parte, continuas, magnæque afflictiones, & labores à se perpessos (ut aliquando falsâ, ac brevi delectatione fruerentur) & alia parte momentaneam, levemque sui ipsorum consolationem, certissimè non ita loquerentur. Quærant de hoc ab animabus illis illuminatis à DEO, quæ res præsentes odio habebant: semperque ad æternas alterius vitæ delicias suspirabant. Divus enim Paulus cupiebat mori, & esse cum Christo, & Rex David nonne offensum se putabat, & lamentabatur, & eò quòd nimis differretur sibi exilium præsentis vitæ; Quare hæc? Nonne quia benè agnoscebant, quàm parvì facienda est vita ista? Imò quàm vili habenda, ac odio afficienda propter tot miserias, quibus plena undique est? Omnis autem ratio suadet, ut prædicti homines intellectum suum submittant intellectui tot Philosophorum, aliorumque Scriptorum altissimi ingenii: qui

qui omnes absque ulla discrepantia declarant, ostenduntque, plenam angustiis, ac miseriis esse humanam vitam.

Secundò. Si sermonem omnium tam pauperum, quàm divitum audire volumus, inveniemus, quoscunque & dicere, & credere miseram vitam nostram.

Tertiò. Etiamsi hujusmodi homines adeò sint cæci ac superbi, ut aliorum hominum judicio se subdere nolint, contra voluntatem suam debent se submittere Spiritui sancto: qui dicit, vitam hominis miseriis plenam esse; qua de causa ego nescio, quomodo vita, si miseriis plena est, delectabilis esse possit.

Quartò. Insuper peto ego à prædictis hominibus (secundùm cœcum quorum judicium, opinionemque vita nostra semper est delectabilis) de ipsorum vita particulari, quam dicunt talem invenisse: an illis unquam acciderit res aliqua amara? Quòd si amarum aliquid ipsis contigit, quomodo vitam dulcem dicere possunt, cùm proprietas sit rei amaræ, quæ ad dulce consequitur, totum id dulce in amarum convertere? Præterquàm quòd nonne cor humanum talis est conditionis, ut præteritam dulcedinem in præsenti jam fastidiat, & amaram existimet, ubi illam recogitat? Quid juvat invitato gustâsse cibos duarum, vel trium paropsidum, si cibi po-

ſtremi dein amatum cor reddunt, & venenatum? Sed ſupponamus etiam, falſam horum hominum opinionem non eſſe falſam, vitamque humanam totam eſſe dulcem, atque delectabilem, ac abſque ulla, vel minima amaritudinis mixtione: nonne brevis eſt, & finitur citiſſimè? Hic verò finis, an dici poteſt, quòd non ſit amariſſimus, & ſuper omnem præteritam dulcedinem? Sed, quamvis longa eſſet vita, & abſque fine, (ut ita dicam) quænam longior eſt, iſta terræ, temporalis, vel illa cœli, æterna? Quænam altior, & melior? Hîc fruimur creaturis: illic, cum pleniſſimo, & inexplicabili ſolatio fruimur Creatore. Hîc cum hominibus avidis, perverſis, & abſque fide converſamur: in Cœlo inter animarum ſanctarum, atque ſpirituum Angelicorum (qui ſe adinvicem ardenter diligunt) ſocietatem, ducimus vitam: atque inenarrabiliter increata DEI pulchritudine delectamur, & paſcimur. Quapropter, etiam ſecundùm cœcam iſtorum hominum mentem, falſumque eorundem judicium, non poteſt homo recuſare mortem, ubi DEUS vocat ipſum ad aliam vitam, eò quòd ad meliorem ſine comparatione, feliciorемque ſtatum pertranſeat. Quomodo namque ſani judicii homo ille appellari poteſt, qui rem aliquam cupiens, lamentetur de meliori, eamque nolit, ubi cito,

citò, & minori cum pretio habere potest? Quando plus expendit homo: cùm præsentem vitam contra voluntatem suam relinquit, vel quando voluntariè hoc facit? Cùm ipsam deserit, transeundo illico ad æternam mortem, vel cùm ab ea discedit, eundo subitò ad vitam veram, beatam, & sempiternam?

CAPUT X.

Quomodo juvandi ii, qui tentantur, eò quòd juvenes moriantur.

ALii tentantur, quia sibi ipsis videntur juvenes mori, & cùm in florida juventutis ætate reperiuntur. Alicui ex istis dicetur: N. mi dilecte, si benè considerares brevitatem vitæ nostræ, manifestè agnosceres, illi nulla ex parte convenire hanc vocem, *Brevis*, vel *Tarda*: Quid aliud namque est vita ista, quàm nebula brevis? Quàm umbra quocunque tempore à nobis fugiens: quàm ventus, qui velociter prænterit? Num adhuc advertisti, quòd res omnes ea in parte, qua magis non fruimur in hoc mundo fallaci, pertransierunt? Quòdque plus morimur, quò plus vivimus. *Præcisa est*, ajebat Propheta, *velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer, succidit me, de mane usque ad vesperam finies me. Brevis est hæc vita, & brevitas ista semper incerta est:*

quia nescimus, an Dominus noster, in cujus manibus est vita, & mors omnium, sit venturus *serò*, *an media nocte*, *an galli cantu*, *an manè*. O vitam non dicam dubiam, & cæcam solùm, sed vivam afflictionem! Quòd si percipere cupis, fili, aliquid de brevitate istius vitæ: ad memoriam tuam revoca aliquam actionem, quam ante quinque annos fecisti; & deinde aliam, quam ante decem, & vix inter unam, & aliam major temporis distantia concipietur; pro certo enim credas, quòd, etiamsi à tempore Adæ usque ad istud vixisses, nihilominùs citissima tibi mors videretur. Quod quidem tibi evenit ratione voluntatis tuæ, quæ creaturarum amori nimis addicta est; nam, si defæcatum haberes affectum, diceres cum Propheta: *Hei mei, quia incolatus meus prolongatus est*: Quòd si tandem voluerimus comparare hanc vitam cum æternitate alterius vitæ, nonne erit velut minimum instans? Sed ponamus insuper, quòd possibile sit nobis concedi, juxta voluntatem nostram, in hac valle miseriarum vitam longissimam: estne hoc desiderandum? Quid aliud est, multum vivere, quàm multùm affligi? Nos omnes peregrini sumus, & per vias plena laqueis, inimicis, erroris, afflictionibus, occasionibus, peccatis, & infinitis, ut ita dicam, malis discurrimus; & tu doles, finem

nem advenisse vitæ tam laboriosæ, & periculosæ? O vita misera, atque fallax! In quot homines saporem immisisti longis spatiis tuis? Quoties fecisti, ut navis vitæ in virtutibus, atque spiritualibus perfectionibus florentissimæ, in scopulos perniciei sempiternæ frangeretur? Qui nascitur, moritur; si ergo mori debes, quare adeo mortis tarditatem desideras, semper perferens molestissimam in te cogitationem moriendi una die? Stultus ille esset, qui per Judicem damnatus simul cum multis supplicio, rogaret, ut sibi post omnes, mors donaretur. Quare quotidie dicimus: *Fiat voluntas tua*, si deinde rebelles sumus voluntati divinæ? Vel, quare dicimus: *Adveniat Regnum tuum*, si adeò placet nobis intolerabilis servitus istius vitæ? Magna est obligatio tua N. mi fili, reddendi gratias Deo, quòd dignetur te citò vocare ad Regnum, & gaudium suum. Redde igitur eidem gratias, voluntatemque tuam divinæ voluntati conformem efficias, quoniam aliàs tibi obtinget, & quidem absque ullo fructu, miserabilissimum, & perpetuum pœnitere.



CAPUT XI.

De auxilio illorum, qui, utpotè in dignitatibus constituti, nollent mori.

Acriter tentantur personæ illæ, quæ ad altos dignitatis gradus ascenderunt, ubi morti appropinquant; mallent enim non mori. Istis dici potest: Mundi hujus dignitates contemnendas esse, velut nullo dignas pretio: maximè, quia illi, qui in dignitatibus sunt constituti, similes iis sunt, qui ob aliquod negotium in summitate altiorum ædificiorum morantur, sæpè enim ad terram præcipites ruunt: semper cœli sagittis expositi isti manent: neque deficit ventus, qui eos ita aliquando inflet, ut die aliqua disrumpantur: obnoxii valde sunt frigori rerum cœlestium, verarumque virtutum, nec non calori amoris terrenarum vanitatum, ac vitiorum; & quidem tales sunt omnes, præter illos paucos, qui dignitates fugerunt, vel illas ita possederunt, ac in iisdem vixerunt, tanquam si illas non haberent. Ego nunquam legi, aut audivi, dignitates attulisse quietem in hac vita, & salutem in alia; cùm nihil aliud sint dignitates, quàm materia affligentium cogitationum, atque occasio profundissimæ damnationis. Molestias, quas mundanæ dignitates in corde pariunt, & magna pericula, quibus eædem di-

dignitates subjectæ sunt, optimè multi ex gentilibus cognoverunt; qua de causa omninò coronas fugerunt; sicut narrant Historiæ. Omitto hîc recensere tot, & tot Christianos Reges, Reginas, Imperatores, nec non filios, & filias ipsorum, qui omnes, cunctas res terrenas contemnentes, omninò se DEO dediderunt religiosi effecti. Memento, quæso, fili mi N. displicentias, atque afflictiones, quas in dignitate tua sustinuisti, cùm in ipsa eas omnes conditiones, ac qualitates non invenies bas, quas desiderium tuum cupiebat; tum anxiarum cupiditatum recordare, dilecte mi, quas habuisti, ut ad majores semper dignitates ascenderes; quot noctes absque sufficienti somno transegisti, imò quandoque absque omni etiam modico somno. O cæcum mundum, quàm vanus, quàm mendax, quàm fallax es! Quàm deinde tibi amara fuit mortis memoria, fili, quòd sciveris, tibi (vel velis, vel nolis) surripiendam esse unà cum dignitatibus vitam? Quòd si adeò tibi dignitates placent: terrenas aspernare ex toto corde, ut placeas Deo; ipse enim certissimè in Cœlo talem tibi dignitatem concedet, quæ in infinitum quamcunque aliam terrenam superabit; ne sis, quæso, mi fili, ita imprudens, ut velis unà cum illa istam dignitatem, animamque cum corpore amittere. Quod

præter dubium eveniet, ubi moriaris (quod Deus avertat) cum affectu istius vitæ, & illibenter.

CAPUT XII.

De modo succurrendi illis, qui propter filios suos, quos debent relinquere, manent non mori.

ADsunt aliqui dicentes, quòd libenter morerentur; sed propter filios sua moderatione indigentes fermè, conformari non possunt cum voluntate divina.

Cum his ita procedemus.

Primò petemus ab istis: Quid magis interfit: ut ipsimet in gratia Dei decumbant, vel; ut ipsorum filii aliquod bonum habeant in hoc mundo? Quòd si magis ipsorum interest, & quidem absque comparatione, propria salus, quàm bona temporalia filiorum, debent se ab omnibus illis affectionibus removere; quæ salutem animæ impediunt: *Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te: bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quàm duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum; & si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te: bonum est tibi unum oculum habentem in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.*

Secun-

Secundò petemus ab ipsis: Quis magis filiorum sit pater: Deus an ipsi; quis magis eos amet: ipsi an Deus? quis magis illis auxiliari possit: Deus an ipsi?

Tu enim N. (dicemus ad unum ex istis) carnalis tantùm es, & peccatorum pater: sed Deus optimus est illis bonitatis Pater: qui pro sola sua benignitate corpus, animamque creavit filiorum tuorum. Si autem Deus propter ineffabilem charitatem suam misit in mundum Filium suum, ut ipsum salvaret, præcipuè verò propter salutem filiorum tuorum: quomodo ipsos abjicere dein poterit, eisque non providere de bonis illis, quæ ad ipsorum salutem sunt necessaria? Terrenos honores, celsitudines, & reliqua bona non debet Christianus homo in tali pretio habere, in quo natura nostra vellet, ut ea haberemus: sed in eo omninò, in quo jubet Deus, ut ea nos habeamus: nec non propter illum prorsus finem, qui placet eidem Deo. Non à patrum vita, atque industria filiorum bonum procedit, sed à bonitate, & providentia divina. *Bona, & mala: vita, & mors: paupertas, & honestas à Deo sunt.* Non ideo tamen prohibemus homini esse industrium, & laborare pro se, atque pro familia sua: sed per hoc illi innuimus, quòd confidentia ipsius non in laboribus, atque industriis suis, sed in Deo reponi debeat: ac proinde

ab ejusdem DEI manu pro re optima suscipere oporteat, quidquid contigerit. Propterea, fili, si placet Deo, ut moriaris: & si mediante morte tua, filii tui pauperiores evaderent, quàm modò sunt, optimum quoque pro illis est egenos esse. In hoc autem totum situm est: ut nos libenter, & cum gratiarum actione, quidquid nobis potest accidere, à manu Dei suscipimus. Cùm igitur ita res se habeant: consigna dilecte fili, liberos tuos in manus cælestis Patris cum confidentia magna; quòd sit illis facturus omne id, quod expediens, & bonum fuerit pro iisdem. Quare ad animam tuam tantum incumbe: atque ab ea sola, quæ ad tuum bonum spectant, omnes cogitationes tuas converte.

CAPUT XIII.

De illis, qui non libenter moriuntur ob timorem de peccatis commissis, nec non de judiciis DEI.

MAxima pars infirmorum turbari solet propter timorem de peccatis commissis, ac de divinis judiciis; propterea non libenter moriuntur, istis dicemus, quòd bona res sit, divinam justitiam, atque occulta, & altissima DEI judicia formidare: sed non usque adeò, ut à pavore dejiciatur ad terram, & consternetur spes,

quam

quam habere debemus in bonitate divina. Quare scire oportet, fili mi, Deum à peccatore quidem velle, ut cogitet, se offendisse Majestatem divinam, doleatque, quò magis possibile est, de offensa, purè ut ei placeat: ac cupiat hunc dolorem: & ipsum efflagitet à clementia divina: ut offensam integrè confiteatur, animo firmo, & stabili potius amittendi res omnes, & vitam simul, quàm Deum denuo offendendi: ut se voluntati divinæ resignet, tum circa hanc, tum circa aliam vitam: ac tandem, ut speret in misericordia ipsius Dei, quamvis sibi videretur contrarios effectus intueri. Qui prædicta facit, credere debet, quòd, *vita vivet, & non morietur*: quòdque peccata sua, *si fuerint, ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra, sicut vermiculus, velut lana alba erunt*: Huc convertere debet peccator omnes cogitationes, totamque voluntatem suam: ac, ut dixi, voluntati Dei se conformare, qui vult, ut peccator doleat, quòd illum offenderit: proponatque ipsum amplius non offendere: & in omnibus ei obedire, efficiendo quidquid ei præcepit, ac præcipit dilecta ejusdem Domini Sponsa, Ecclesia sancta Romana. Quæcunque alia cogitatio, & solicitudo, aut verba, exempli gratiâ: Quis scit? quis scit? esse potest, quòd sim ex illis peccatoribus, quibus Deus non ignoscit, & similia:

milia: sunt cogitationes, ac verba à superbia nostra provenientia, nec non dæmonis doli; tam infinita enim est misericordia Dei, adeoque ineffabilis satisfactio, quam Crucifixus Dominus pro toto mundo obtulit: tantusque, ac tam inexplicabilis affectus, atque præstantia, qua Deus parcit: ut peccator lætus magis esse debeat pro isto, ubi illud agnoverit, quàm pro ipsa peccati remissione, atque indulgentia.

CAPUT XIV.

Quomodo agendum cum illis, qui mallent non mori, eò quòd peccatorum suorum pœnitentiam agere desperent.

NON desunt ex illis, qui mallent non mori: quia nondum peccata sua fleverunt: Istis dicetur: scitote NN. filii mei charissimi, quòd fletus ille, ac pœnitentia majoris valoris est, quæ Deo magis placet; illa verò magis illi placet, quam à nobis strictè requirit. Si Deus à vobis multas lacrymas vellet, longam quoque vobis vitam concederet: Sed, cùm velit modò à vobis vitam auferre, signum manifestissimum est, quòd pœnitentia, quam à vobis requirit, sit resignatio voluntatis vestræ in voluntatem divinam: dolentes quòd olim non

non amarissimè luxeritis offensam Divinitatem; si verò prædictus fletus, ac resignatio vobis non placet, estote certi, quòd desiderium vestrum de longa vita, non est ob deflendum peccata vestra (quamvis vobis aliter videatur) sed ob continuandam malam vitam præteritam; illorumque prorsus est peccantium, qui, post acceptam sanitatem, magis, magisque vitiosis passionibus se dediderunt; non idest nihilominùs modus (licèt brevis sit vita) lugendi diu. Lugere peccata vestra intensius, & majori cum dolore, non ob timorem pœnarum: sed purè ob amorem DEI. Lugete majori cum odio vestrimet ipsorum, & intensiori cum amore erga Deum, necnon cum firmiori resignatione ad quamcunque adversitatem ferendam, quam Deo placebit vobis imponere: quæ resignatio, si in vobis modò non est, dolete, quòd eam non habeatis, illamque desiderate, & à Deo postulate: prosequentes offerre ipsimet Deo fletum, quem pro nobis Filius ejus emisit ad gloriam Patris sui cælestis.

CAPUT XV.

De tentatione differendi Confessionem.

NON desistet diabolus tentare infirmum istius secundi status, cùm eum viderit ferè conformem voluntati divinæ,

ut Confessionem differat: ipsi nempè insinuando, quòd oporteat priùs benè de illa cogitare; in quo procurat, ut angustias, atque laborem sustineat: eidem nempè suggerendo, quòd, ubi confessus fuerit, nulla ampliùs vitæ spes remaneat. Huic tentationi respondet Divus Augustinus, asserens: *Remedia conversionis ad Deum nullis sunt cunctationibus differenda, ne tempus correctionis pereat tarditate; qui enim pœnitenti indulgentiam promisit, diem crastinum non spopondit; ipsa enim est res, quæ multos occidit, cùm dicunt, Cras, Cras, & subitò ostium clauditur: remansit foris cum voce corvina, qui non habuit gemitum columbinum:* Idcirco, dilecte mi fili, N. nunc geme, *ut Columba, & tunde pectus.* Si modò tibi offeretur corporis salus, scio certè, quòd non diceres, *Cras, Cras:* tibi offertur animæ salus, in qua totum consistit, & tu dicis *Cras?* Agnoscis, fili mi, magnum errorem tuum? Heu, heu, ipsi, vel gentiles Poëtæ te reprehendunt, ac damnant: audi: *Nam cur,*

(a) *Quæ lædunt oculos, festinas demere; si quid*
Est animam, differs curandi tempus in annum;

(b) *Sed propera: nec te venturas differ in horas,*
Qui non est Hodie, Cras minus aptus erit.

Eccles. V. *Non tardes*, ait Deus, *converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subitò enim*

(a) *Horat.*
(b) *Ovid.*

enim veniet ira illius, & tempore vindictæ disperdet te; Eja igitur, mi frater, fili mi, incipe in nomine Domini confiteri: quia cras, præter alia pericula, minatur infirmitas majora tormenta, atque angustias, quàm modò sustineas; & forsan, imò absque dubio, angustiæ istæ sunt ab arte dæmonis, ut Confessionem tuam impediat: Idcircò statim incipiamus; quod enim spectat ad id quod dicis, nempe, te benè de illa non cogitâsse, mihi remittas; promitto namque ego omnia peccata, quæ fecisti, ad mentem tuam cum facilitate reducere. Cogitare verò, quòd confiteri, auferat ab infirmo spem corporalis salutis; est cogitatio stulta nimis ac falsa; quinimò res omninò aliter se habet; propter peccatum siquidem, ut plurimum, mittit Deus infirmitates, unde, sublato per Confessionem peccato, quod est causa infirmitatis, tollit quoque ejusdem effectus. Quod apertissimè ostendit Dominus noster in Evangelio; ubi enim volebat infirmos sanare, priùs peccata illis demittebat, &, postquam illos sanaverat, semper admonebat: ut rursus ad peccatum non redirent, ne majori cum ipsorum damno pejor illis infirmitas superveniret: *Ecce sanus factus es, noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*; sunt hæc Domini nostri verba in Evangelio recensita.

CAPUT XVI.

De prima causa ex præcipuis, quæ sunt quatuor, propter quam peccator Confessionem differt, scilicet de inhonesta adhæsione, & affectione.

QUatuor sunt præcipuæ causæ, propter quas peccator confessionem differt, nempè

Inhonesta adhæsio, & affectio.
Odium cum aliquo.
Restitutio rerum malè acquisitarum facienda: &
Pudor in confitendo.

Propter primam causam advertat Confessarius, quòd si persona dilecta non est absens, oportet illam ab infirmi oculis auferre: & quidem taliter, ut infirmus illam ampliùs non videat, & de ea nihil imposterum sciat, vel ei renuncietur. Postea dicetur infirmo: Bene agnosco, fili mi, quòd differre Confessionem proveniat eò, quia res dura tibi videatur relinquere personam, quam adeò amas: sed tu adeò amasiam istam diligis: ipsa verò te etiam multum: quomodo cum veritate dici potest, quòd adinvicem ameminì, si in hoc amore alium alius mortaliter persequitur? Hoc verbum, *Amare*, nihil aliud dicere intendit, quàm, personæ amatæ bonum optare, eique istud idem bonum, quo plus fieri po-

poteſt, procurare. Iſtud verò non facit veſter amor, qui ſemper tale ſecum habet venenum, ut eòdem tempore, ac momento, quo amamini adinvicem, mortem velociſſimè vobis pariat. Dum amas, fili mi, amaſiam tuam, occidis uno ictu te, & illam ſimul: ac ipſa te amans ſibi pariter, & tibi mortem parturit ſempiternam. Quòd ſi adeò placet tibi, dilecte mi, ipſum amare; ut ipſam ames contentus ſum: ſed abſque veneno: illo ſcilicet amore eam ama qui tibi, illique bonum, animæque ſalutem procurat, & gignit. Ecce ejuſdem amaſiæ bonum, & tuum: ipſam relinque, ut convertatur ad amorem illius, qui eam creavit, & redemit, utque ſervi ſe dedat, eò quòd cum tanto errore Majeſtatem divinam offenderit; & certò credere debes (neque abſque bona loquor ego cogitatione) ipſa non ampliùs vult amicitiam tuam, Primò ob ſalutem ſuam: deinde ob tuam: ſed præcipuè, ut placeas Deo tuo: Hîc adducere, fili mi, diverſas oppoſitaſque cogitationes vanum omninò eſt, quia eam omninò debes relinquere, vel velis, vel nolis; & tu adeò demens eris, obſtinatus, ut potius eam velis relinquere cum æterna damnatione tua, quàm cum adeptione amicitiæ Dei, & Regni ejus?

CA-

CAPUT XVII.

De secunda causa, ratione cujus Confessionem differt peccator, scilicet ratione odii contra aliquem.

UT tollatur secunda hæc causa, nempe odii, quo forsan infirmus aliquem prosequitur, ei dicetur: Mihi videtur, fili, quòd cupiens militem honestum, & decorum agere, fermè nihil bellandi artem, ac leges calleas. Quem unquam vidisti, qui volens se vindicare ab inimico per viam vindictæ, priùs cogitet de occidendo seipso? De quo unquam honorato milite intellexisti, quòd, ubi adscriptus fuit alicujus Ducis insignibus, illi pro honore sit militare sub insignibus hostis sui? Tu, gratiâ Christi Domini Ducis nostri, es Christianus, & in sancto Baptismate miles Christi effectus es; quocirca juxta leges Christianæ militiæ pugnare teneris. Si igitur ita res est, scito, quòd in Christiana militia tantùm contra peccatum pugnatur, nec non adversus motus & passiones illas, quæ ad peccatum inducunt; qui aliter facit, & contra fratrem suum præliatur, Christi miles non est: imò neque honoratus est miles: sed rebellis, ideoque Inferno dignus; si adeò placet tibi, mi fili, indignatio, atque vindicta, istam contra te suscipias, qui tam impiè, & toties Deum offen-

offendisti, animam tuam, atque proximum tuum: indignare inquam contra inordinatas passiones, & contra peccatum tuum decerta. Tum, si cupis certare cum eo, qui te offendit, ipsumque vincere magno cum honore tui ipsius, illis armis decerta, quibus JESUS Christus dux noster nos decertare docet, & cupit. Ecce arma, quibus vult Christus Dominus, ut nos pugnemus cum inimicis nostris: ecce modus verus eos cum gloria superandi: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Putat cæcus mundus esse dedecus, non vindicare inimicorum injurias: animique exilitatem esse credit, illis ignoscere, illisque benefacere; O Domine, ô Domine, ô mi Deus omnipotens! cùm tu igitur parcis inimicis tuis, ipsisque benefacis, ergo vilis es, & absque honore? Ergò, cùm pro proprietate habeat majestas tua ignoscere, habet quoque, juxta cæcum, & impium illud mundi judicium, exilitatem, & dedecus? Tuus igitur Filius, mi Deus, etiam, cùm pendens in Cruce dicebat: *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt,* actum dedecoris, & vilitatis faciebat: pro inimicis crucifigentibus interpellabat? Ob consequens ergo quoque, secundùm pessimum mundi judicium, omnes Heroici servi tui, omnesque Apostoli invincibiles: cuncti discipuli: Martyres: Reges: Imperatores Chri-

Christiani, & Sancti reliqui: nec non quicunque militiæ tuæ milites, viles sunt, & absque honore; quia omnes inimicis suis pepercerunt, illisque benefacere quæsierunt? O cæcum Mundum, & impium supra modum! Tu ipsemet Munde impie, in Historiis tuis honoras, & celebras Cæsares, quia inter cætera opera sua inimicis ignoscebant, & faciles erant ad benefaciendum illis: Tu non vilem, sed magnanimum prædicas Octavianum Augustum in illis verbis, quæ dixit ad inimicum suum: *Olim tibi hosti ô Cinna, nunc insidiatori, & parricidæ do veniam: tam hinc inter nos inchoëtur amicitia, contendamusque, utrùm meliori fide ego tibi bis vitam condonaverim, an tu acceperis:* Tu inquam ita sentis, ô munde, & postea, hodie *Ignoscere*, exilitatem appellas?

Sed, relicto mundo in cæcitate sua, sequamur JESUM Christum Ducem nostrum: quia honor, qui hinc sequitur, magnus est: præmium inæstimabile: & necessitas inevitabilis illi, qui non vult pro semper mortuus esse. Ecce honor: ecce præmium illi, qui ignoscit, & benefacit inimicis suis: *Ut sitis*, inquit Christus, *Filii Patris vestri, qui in Cœlis est:* quis honor, quale præmium sit fieri DEI filium, non est, qui possit capere, vel explicare. Quid dicemus dein de necessitate, quam habemus

ad ignoſcendum inimicis noſtris? Nos omnes debitores ſumus DEO: quia omnes ipſum offendimus: ſinguli magis, vel minùs: *Niſi ignoſcitis*, ait ipſe, *neque vobis ignoſcetur. Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam: & peccata illius ſervans ſervabit*, Eccl. 28. & alibi: *Si enim dimiſerit hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater cæleſtis delicta veſtra*, Matth. 7. Parcas ergo, mi fili, mi N. quia, ſi cogitationem tuam vertis ad honorem, non habes, quid dicas, & quare non ſtatim agnoſcas; ſi ad debita tua, non eſt, quid in favorem tuum allegari poſſit, ubi non parcis; ſi ad Gentiles recurris, jam convinceris, & debes ignoſcere; & ſi convictus non ignoſcis, citiſſimè condemnaberis, & ad flammas, quæ nunquam deſinunt, inferorum, à dæmonibus deduceris. Audi, quid in Vita Sanctorum inter cætera Exempla ad propoſitum noſtrum legatur: Fuit unus, qui moriens noluit unquam ignoſcere inimico ſuo, etſi multoties de hoc exoratus fuerit; dum huic, in Eccleſia, defunctorum Nocturni canebantur, cùm ad ea verba pervenêre cantores: *Parce mihi Domine*, viſus eſt ſuffixus Cruci Dominus manus à Cruce, claviſque diſſolvere, ac ſibi aures obturare, dicens: *Non pepercit, neque ego parcam*. Quòd ſi vis, ut DEUS tibi parcat abſque eo, quòd inimico tuo parcas, ſcito, quòd in dia-

diabolicam superbiam elatus es, adeoque magnam, ut quò nomine eam appellem, ignorem. Quare vis, ut DEUS tibi obediat, & illi obedire tu recusas?

CAPUT XVIII.

De tertia causa, ob quam peccator differt Confessionem, id est, ob restitutionem faciendam rerum malè acquisitarum.

TErtiam causam, ob quam differtur Confessio, diximus esse: Quia infirmi rem alienam restituere nollent. Istis dicetur: Quare alienam rem restituere non vultis? O miseri! Ego non puto, quòd sit ideo, quia credatis vobiscum illam deferre; nudi enim in hunc mundum venistis, & nudi citò recedere debetis. Si verò hoc agitis, ut filii vestri sint divites, magno in errore versamini; quia, hoc modo, æternam damnationem vobis eligitis, ut divites filios vestros relinquatis; vobis inferos, divitias filiis vultis. Sed quid dico divitias? Occasiones potiùs perniciei ipsis vos vultis; hocque verum est, quia per hæc bona malè acquisita, eos in via ponitis inferorum, ut damnati dein in æternum maledicant animabus vestris; imò, ob justum Dei judicium innumeras quoque miserias patientur in terris; vidimus enim ex multis

experientiis, quòd res malè à parentibus acquisitas filii citò dissipaverint: atque in extremam lapsi fuerint paupertatem. Sed, etiamsi tales divitiæ essent permanentes, atque perpetuæ in familia vestra, reflectite parumper ad illa verba JESU Christi: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Quod juvamen habebitis à tot divitiis, dum propter ipsas animam vestram amiseritis? Insuper, quam satisfactionem habetis in non satisfaciendo paucis istis vitæ diebus, aut horis, quæ vobis adhuc superfunt, si vos conscientiæ vermis corrodit: quod est principium veri inferni? In quo postea supra modum vos affliget, recordari, derelictos à vobis fuisse vestros filios divites; Agnoscetis enim, quàm impiè operati fueritis contra animam vestram, cùm illam ad tot perpetuas pœnas condemnaveritis, ut filios vestros in momentaneis, inanibusque deliciis relinqueretis.

CAPUT XIX.

De quarta causa, propter quam peccator differt Confessionem, videlicet propter pudorem in confitendo.

PUdor assignatus fuit pro quarta causa, propter quam peccator differt Confessionem. Hujusmodi hominibus à pudore de-

detentis dicetur: Ut video, vos Confessionem fugitis propter pudorem alicujus gravis peccati: honestus quidem fuisset, & valde æstimandus pudor, quem de vobis ipsis debebatis habere in cogitationibus, quæ vos quærebant inducere ad peccatum, considerando scilicet, quòd peccantes ex hominibus in bestias: imò in quid pejus, nempe ex DEI filiis in dæmonis mancipia immutabimini; ô quem pudorem dignum æterna vita, atque bonorum inæstimabilium habuissetis, si, ultra prædictas considerationes, insuper attentè cogitavissetis, quòd, peccando, peccatur ante purissimos, atque terribiles oculos DEI, qui omnia videt: ante æternum Patrem, qui propter ineffabilem amorem, quo nos amat, Filium suum misit in terras ad destruendum peccatum, atque ad salvandum nos. Itaque hunc pudorem deberent habere quicunque, ubi tentantur, & ad peccatum extimulantur: sed nullo modo pudorem ad confitendum. *Pro anima tua*, ait Deus Eccl. 4. *ne confundaris dicere verum: est enim confusio adducens gratiam, & gloriam.* Et, ut omittam loqui de inæstimabili honore, quem Confessio defert confitenti, ipsum liberans à servitute peccati, & dæmonis, ipsumque efficiens amicum, atque filium DEI: jam ad amussim respondeo ad tentationem vestram. Vos Confessionem fu-

fugitis propter pudorem, atque honorem, & in majorem cæteris aliis errorem incidistis. Primò, cùm unus est inhonoratus apud DEUM, ejusque cælestem curiam (quod nunquam accidit, nisi propter peccatum) est incapax honoris: & quamvis cæcus mundus summopere ipsum honoraret, citò efficiet DEUS, ut ab eo agnoscatur, & pro semper inhonoretur, Nahum. 3. *Ostendam gentibus nuditatem tuam, & Regnis ignominiam tuam.* In quo cautus divus Augustinus DEO dicebat: *Non operui, sed aperui, ut operires; non celavi, ut tegeres; nam, quando homo detegit, Deus tegit: cùm homo celat, Deus nudat: cùm homo agnoscit, Deus ignoscit.* Quare certi estote, quòd efficacius medium peccator non habet ad honorem suum recuperandum, quàm Sacramentalem Confessionem; &, inter tot alias rationes, hæc adest confirmata verbo Christi Domini, qui mentiri non potest; dicit enim ipse: *Qui se humiliat, exaltabitur*; quod præcipuè intelligitur in Confessione Sacramentali; ita ut, quò magis confitens superat pudorem, confitendo ignominias suas ob honorem DEI, qui sic vult; eò magis non tantùm honoratur ab ipso, & à tota cælesti aula, verùm etiam ab eodem Confessario, operante sic DEO, qui omnia potest in Confessarii mente: & de hoc multa vobis exempla afferre possem relata in

H San-

Sanctorum vita: sed ea, ad quos spectat, remitto. Igitur nullum melius medium adest, ut verè, & perpetuò honoremini, quàm amicitia DEI, & ejusdem consecutio, quò citiùs fieri potest, per Confessionem, ubi antea per peccatum amissa fuit.

CAPUT XX.

De duobus mediis universalibus, ut infirmus ad libenter moriendum inducatur.

DUO media mihi videntur pro quocunque infirmo potentissima, ut voluntas ejus inclinetur ad moriendum libenter: unum est ipsi dicere: mori, & non mori hominis non à nostra, sed à divina voluntate dependet; quapropter, si DEUS vult, ut in hac infirmitate moriaris, fili, omnes medici, quæcunque mundi remedia, cunctæ artes, nec non universæ potentiæ, & voluntates creaturarum efficere non poterunt, ut mortem effugias: *Non est consilium, non est sapientia, non est prudentia contra Deum: Ego occidam, & ego vivere faciam, percutiam, & ego sanabo: & non est, qui de manu mea possit eruere.* Idcirco, si ego te ad moriendum exhortor, non propter aliud hoc facio, quàm ut bene moriaris, & in gratia DEI, qui, sicut infirmitas tua ostendit, vult, ut in ea ex hac vita decedas.

Quam-

Quamobrem humilia te DEO, submittendo te potentibus ejus manibus; ac cupiditatibus, quæ te aggrediuntur, & à morte deturbant, dicas: Ad quid cupiditates istæ, si mors mea non in meis, sed in divinis manibus posita est? Ut verò decoram magis victoriam reddas tuam, adde: Quamvis autem in manu mea mors esset, vellem mori, videns, quòd Dominus meus & Deus meus, vult, ut ego moriar: mori volo, ut illi placeam.

Aliud medium, fili mi, est, tibi DEUM sæpe imaginari dicentem: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives*: hanc verò sententiam in promptu semper habeas, ut omnia vivendi desideria superes, dicens intra te. Ad quid desideria isthæc, si postremum jam advenit vitæ meæ? Volo igitur Creatori meo obedire, & attendere ad rerum mearum dispositionem, nec non ad subjugandos, ordinandosque affectus meos, & omnia opera mea propter aliam vitam, atque ob Patriam cælestem.



CAPUT XXI.

De infirmis tertii status, hoc est illorum, qui itidem tempus habent: conformes sunt Divinæ voluntati, & exercere valent animi sui potentias in virtutum actibus efficiendis; nec non in quo ipsorum auxilium consistat.

AUxilium infirmorum istius tertii status, qui illi sunt, ut superiùs diximus, qui itidem tempore non carent, conformes sunt voluntati Divinæ, & exercere possunt animi sui potentias in eliciendis virtutum actibus, consistit in edocendo ipsos: quomodo se gerere debeant, ut placeant DEO: quomodo agere eos oporteat cum medico, cum illis, qui eis deserviunt, cum infirmitate, ut eam patienter sustineant, & tandem in multis aliis occasionibus, quæ iisdem contingent, vel contingere, ut plurimum, solent: quibus apta, atque optima media, & auxilia subduntur, ut nihil pro quibuslibet infirmorum istius tertii status opportunitatibus necessarium debeat desiderari.

CAPUT XXII.

De eo, quòd infirmus agere debeat cum medico.

MOdus, quem infirmus servare debet cum medico, est, ut Pri-

Primò. Respiciat medicum, ac medicinas, velut opera bonitatis, & providentiæ DEI, cui placuit providere homini in infirmitatibus, tum de medicis, tum de medicinis: istis præbendo virtutem sanandi infirmitates nostras, & illis congnitionem infirmitatum, virtutumque herbarum tribuendo.

Secundò. Scito, quòd si DEUS lumen medicis non concedit, & actualem concursum virtuti medicinæ: neque hæc effectum suum habebit, neque medicus infirmitatem, ejusque causam agnoscet. Ex quo tria eruenda sunt. Primum ex istis est quod Confessio Sacramentalis subitò facta est optima etiam pro salute corporis: quia respiciens DEUS conscientiæ puritatem, audiet utique suspiria, & orationes infirmi; unde, si ita pro eo expediens fuerit, præstabit medico veram congnitionem infirmitatis, & medicinis actualem virtutem, atque effectum salutis. Secundum est, ut divites, & potentes non confidant in multitudine medicorum, doctisque eorundem collegiis; tum, ut pariter non contristentur pauperes, diffidantque, ubi se derelictos inspiciunt à creaturarum auxiliis: sed isti, & illi æqualiter confidant in Deum, & ab eo dependeant, qui sanitatem donat per medicos, & absque medicis juxta divinam suam voluntatem, & beneplacitum.

placitum. Tertium est, quòd, licèt dependentia nostra à DEO esse debeat, nihilominùs boni medici respuendi non sunt, sed potiùs, ubi possumus, procurandi: quorum monitis, & præceptis omnibus obtemperabimus.

CAPUT XXIII.

Quomodo se gerere debeant infirmi cum illis, qui ipsis deserviunt.

QUia verò infirmi, ut plurimùm, propter suas afflictiones mœsti fiunt, & tædiosi circa moderamen, & servitia, quæ ipsis præstantur: debet hoc maturè præcaveri, ipsos admonendo, & hortando ad patientiam, & ad recipiendum quodcunque servitium cum animo tranquillo, & quieto; quamvis pro eorum voluntate ipsis non inserviatur: vel, ita iisdem videatur, eò quòd afflicti reperiantur.

Ne igitur in vitium impatientiæ, atque ingratitudinis labantur infirmi, dicetur illis, ut, eo tempore, quo ipsis servitia præstantur, si hæc bona non videantur, tacitè iidem infirmi dicant ad se: Silete jam, & quiescite, quia judicium vestrum, hoc tempore, non est bonum, & rectè non judicat; &, quando etiam ipsis quidquam quandoque deficeret in re aliqua, agant prudentes, & bonos Christianos, excusent-

ſentque, & diſſimulent omnia vultu læto, & cum gratiarum actione. Quòd ſi aliqua neceſſaria deeſſent, non ideo infirmi in impatientiam excurrere ſtatim debent: ſed potiùs meminiſſe peccatorum ſuorum, & debiti permagni, quo juſtitiæ divinæ tenentur, atque cum gratiarum redditione ſuſcipere deſervientium errores, cæteroſque omnes, in pœnam peccatorum commiſſorum, conſiderantes ſemper, quòd longè meliùs pro ſe ipſis ſit ſolvere hîc paucis, & cum merito id, quod debent, quàm multis, & abſque ullo merito in Purgatorio. Tum recordentur itidem, quòd Filius Divinus inter tot ſuas acerbiſſimas pœnas, dùm erat in Cruce, neque pauliſper aquæ obtinere potuit. O ſi ſciretis, quot dantur ex infirmis, qui uſque adeo derelicti ab humanis auxiliis inveniuntur, ut petræ, ne dicam homines, iiſdem compati deberent; & tamen patienti animo benedicunt Deum; certè hoc idem libentius vos feceritis, quibus multa auxilia, & commoditates non deſunt.

CAPUT XXIV.

Quomodo cum infirmitate ſe gerere debeat infirmus.

QUia infirmitas affligit, doloreſque infirmo affert, idcirco modus, quo ſe bene geren-

gerendi in infirmitate, est, patienter sustinere: Ad patienter igitur sufferendum per considerationes sequentes animum infirmo addemus: Stulta res est, præter dubium, in homine, nolle tolerare adversitates, doloresque, quos secum affert vita humana, & vitari non possunt. Tum non exiguum est itidem dedecus, nondum habere consuetudinem in tolerando ipsos cum tranquillo animo; Quòd si pro dedecore reputamus exiguam doctrinam in eo, qui in scholis plures annos versatus est, atque multum ad studia incubuit, quid dicendum de homine, qui, vix natus in terrarum orbe, afflictionibus, atque doloribus datus est istius miseriæ vitæ, si ipsos nondum didicit tolerare; Quis unquam vitam istam transegit sine doloribus? primi nostri Parentes, quàm citò à terrestris Paradisi deliciis in abyssum dolorum istius vitæ calamitosissimæ ceciderunt; quàm acutos dolores in pectoribus suis perpessi fuerunt, cùm à Paradiso per tot maledictiones ejecti sunt, quando in sudore vultus sui vescebantur pane suo: quando horribilem filii sui Abel mortem inspexerunt, quod nunquam antea visum fuerat, vel sub Sole contigerat? Et tamen omnia sustinuerunt cum animi patientia. Quis ex Patriarchis, quis ex Regibus, vel Prophetis immunis fuit à doloribus? Quis ex nobis

nobis intensionem, & atrocitatem unquam experietur in se doloris Abraham, dum mortem recogitabat, quam propriis manibus unico, adeoque sibi dilecto Filio Isaac inferre debebat, ut obediret Deo? Quis amarum probavit in se Jacobi fletum, cùm tunicam Joseph, à se maximè amati, sanguine conspersam vidit? Quis dolores Davidis vel solum etiam penetravit, cùm scilicet à Palatio suo regali fugiebat, quia proprius filius, quem valdè amabat, eum persequebatur ad mortem? Et, ut reliqua alios omittamus, quid dicemus de amarissimis doloribus Regis Sedeciæ, cùm privatus est Regno? cùm ante ipsum filii proprii occisi fuerunt? cùm sibi erepti oculi? ac tandem, cùm catenis circa pedes positis, ad carcerem Babylonis deductus fuit? Et nihilominus inter ista omnia benedicebat Deum. Si ad Testamentum novum deinde mentis oculos converterimus, statim ante nos exponetur Caput nostrum, Christus JESUS, qui cum omni veritate Vir dolorum vocatus est: ejus Mater sanctissima verè Mare magnum afflictionum, atque amaritudinum: ac cætera omnia ejus membra, Apostoli, Martyres, Pontifices, omnesque Sancti, qui dolores, atque tormenta innumera passi sunt? Ergo, N. mi, si nullus datur, qui absque dolore vixerit, unicum [illegible] dium;

dium; & eſt, omnia in patientia ſuſtinere ac benedicere Deo; hoc namque modo quot erunt dolores, tot itidem erunt gemmeæ coronæ, quâ in Cœlo à Creatore noſtro coronabimur.

CAPUT XXV.

De modo excitandi infirmum ad patientiam; nec non de arte tolerandi.

UT dein infirmo oſtendamus modum, ac artem ferendi dolores, atque afflictiones infirmitatis, illi dicemus: ut ſæpè totam cogitationem ſuam ad unum ex ſequentibus punctis convertat: ſemper ſecum loquens in hunc, vel ſimilem modum: Ah! qua de cauſa non vis edere ex illis amaris fructibus, quibus ſemper, & quocunque tempore natura veſcitur humana? Ad quid patientia mea valet, ſi à me non aufert, ſed magis in me auget afflictiones? Nonne dementia hæc mea eſt, ſi, ubi corpus infirmum gero, mentem quoque infirmari permittam? Quæ ſi conſervetur ſana, quòdcunque aliud malum nihil eſt. Caro mea forſan non eſt unus ex præcipuis inimicis meis? & quare igitur doleo de doloribus inimicis meis? nonne offendi Deum, ut carni delectationem afferrem? & cur modò non lætor, ſi per ejuſdem carnis dolorem offenſioni Dei mei ſa-

cio

cio satis? si nullus invenitur mercator, qui omittat, ubi paucis potest nummis emere pretiosas merces: quomodo omittam ego emere Cœlum, & divitem coronam æternæ gloriæ brevibus; levibusque istis doloribus? *Id enim, quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis: non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt*, ait divus Paulus 2. Corinth. 4. Quænam ergo merces est ista tam pretiosa, si temporali æternum, & exiguo multum emitur? Felix ego igitur sum, qui in floridis hisce nundinis invenior; quare agnoscens, quòd injustè doleam, cogitare debeo, quòd si cupio membrum esse Christi, nulla ratio reperitur, propter quam sub Capite, spinis præcincto, membrum absque acuminum perferentia resideat. Ego volo in Cœlorum Regnum ingredi: *Per multas tribulationes nos oportet introire in Regnum Cœlorum*; nec hoc mihi accidere debet novum, quando Caput nostrum Christus, de se loquens, ait: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Insuper dicetur infirmo tut, præter supradictas considerationes, cùm à dolore tenetur, pergat cogitatione ad Christi dolores, quos sustinebat, modò in hoc, & modò in illo

passionis Mysterio; si enim occupatus in his fuerit infirmus, procul dubio ejus dolores dulces reddentur. Addet quoque jaculatorias orationes, hoc modo: Ubi videtur Christum Dominum angustiatum in horto madere sanguine, ita dicet ad illum; *Heu! mi Domine, placebit tibi in memoria, atque virtute tormentorum tuorum, quæ in horto tolerâsti, robur debilitati meæ præstare, ut valeam sustinere dolores istos unà cum quocunque alio, ut placeam tibi.* Alia vice, ubi consideravit aliquantisper misterium aliquod, imaginabitur sibi, quòd crucifixus Deus ad ipsum oculos suos vertat, ac dicas: *Ecce, N. mi fili, quanta pro te ego patior! attendam nunc ego quoque, quomodo exiguos hosce dolores tuos perferes ob amorem meum. Quod si res dura tibi videtur, tolerare; violenter tecum agas, fili; violentia namque illa est, quæ Cœlorum Regnum, Me ipsum, & patrem meum cælestem rapit : in quibus consistit Beatitudo.* Per gratiarum actionem Deo, qui dignos nos efficit, ut aliquid patiamur, dilatatur itidem cor ad patientiam: gaudendo nempè, quòd aliquid habeamus ad offerendum Deo unà cum doloribus Filii ejus, Mariæ Virginis, omniumque Martyrum ac Sanctorum pro indigentia nostra.

CA-

CAPUT XXVI.

Deo eo, quod ab infirmo peragendum est cum Deo.

QUod infirmus cum Deo observare de-
bet, est, ut magis, ac magis per fi-
dem, spem, charitatem, atque dolorem
de offensa ejus, cum ipso Deo uniatur;
quod sequenti vel alio modo fit: nullum
invenitur medium aptius, ac magis po-
tens, ut inducatur unus ad supradictas vir-
tutes, sicut consideratio bonitatis divinæ;
quæ detegetur infirmo successivè per de-
clarationem istorum punctorum: Quòd
Deus est noster Creator, Redemptor, Rex,
Sacerdos, Sacrificium, Advocatus, Inter-
cessor, Pastor, Cibus, Pater, Caput, Me-
dicus, Magister, Exemplum, Via, Gau-
dium, Veritas, Vita, Honor, Gloria, &
omne Bonum: addendo, post declaratio-
nem cujusvis ex istis punctis, hunc, vel si-
milem loquendi modum: Dilecte fili, be-
nignum istum Dominum tam multum of-
fendisti, qui non ad Inferos, ut merebaris,
te trusit: sed te semper sustinuit, semper-
que variis modis te vocavit ad se. Nonne
tibi videris tineri ad ipsum amandum ex
toto corde tuo, ex tota mente tua, ex totis
viribus tuis? ad dolendum de ipsius offen-
sione? necnon ad sperandum in bonitate
ejus, non tantùm peccatorum tuorum ve-

niam, sed quodcunque aliud bonum? Eja igitur istarum virtutum actus elicias, te excitando ad amorem ejus, ad dolorem de offensa illius, nec non ad spem in bonitatem ejusdem. Inter declarationem unius, & alterius ex prædictis punctis poni itidem poterit (nec erit absque delectatione, & utilitate circumstantium) aliqua sacræ Scripturæ narratio, vel alicujus Sancti vita, quæ apertè bonitatem Dei ostendat, subdendo istis pulchrum aliquem conceptum circa bona cælestia, ut cor infirmi accendatur, & sublevetur in ipsis; quod fiet dicendo, exempli gratiâ: *Cùm invocarem, exaudivit me Deus*: Ecce, dicetur infirmo, ita paratus, ac promptus est Deus ad nos juvandum in necessitatibus nostris, ut tota ejus delectatio in benefaciendo nobis hominibus miseris consistere quodammodo videatur! Verte, ad quemcunque locum tibi placet, cogitationem tuam, fili, & ibi paratum semper Deum comperies; si enim intueberis Cœlum, terram, arbores, mare, animalia; & cætera omnia: in quacunque re inest Deus donans illis ad usum tuum continuam virtutem, atque operationem, imò, si dæmones ipsos nobis inimicos aspicies, in ipsis etiam Deum invenies, qui eos ita in potentia limitat, [illegible] tantùm; ac tantùm solummodo tentare nos possint, sicut & in virtutibus exercere. Si ingredimur

mur cor nostrum: ecce in eo Deus, qui nos de malo reprehendit, ad bonum hortatur, Cœlum promittit, & seipsum cum Cælo, si illi obediverimus. Explicatio parabolæ de Filio prodigo valdè apta est pro infirmis trepidantibus justitiam Dei, ponderando nempe subsequentia puncta: *Cùm adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & occurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum. Cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus, & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, & revixit, perierat, & inventus est.* Quænam ingratitudo, fatearis fili mi, dicemus ad infirmum, est nostra, quando tam benignum Patrem offendimus? Quis veniam non sperabit à quocunque, vel gravi peccato! O quæ felicitas illius, quæ citò moritur! citò enim pergit ad videndum Creatorem, qui ei formavit oculos, linguam, vultum, ac totum corpus: animamque in illo creavit: Redemptorem, qui proprio sanguine, ac morte salutem eidem attulit. Ad videndam inquam Dei pulchritudinem, quæ talis, ac tanta est; ut impleat, ac saturet sensum, & infinitam capacitatem ipsius DEI, qui est completa, atque perfecta felicitas. Quæ pulchritudo illa esse debet, quæ [illegible] perito pro-

prospecta, & ab æterno ab ipso DEI oculo respecta adhuc fixam detinet beatam illam mentem, usque adeò, ut nunquam ab alio objecto distrahatur? Præterquam quòd talis pulchritudo non solùm nunquam displicentiam, vel molestiam affert: sed semper incomprehensibilem causat lætitiam. O ineffabilem gratiam homini concessam, ut in pulchritudine illa beatus sit, in qua Deus ipse beatus est. Pretiosam ergo vocabo, fili, infirmitatem hanc tuam, quæ ex mundo ad Cœlum, è tot periculis ad tutum portum: atque è miseriis innumeris ad beatitudinem Dei aperit tibi iter.

CAPUT XXVII.

De modo, quo uti debemus quibuscunque occasionibus, quæ infirmo accidere solent, ut idem infirmus semper unitus Domino conservetur.

NON desunt occasiones, ut mens infirmi cœlestibus cogitationibus, actibusque virtutum enutriatur.

A medico suscipiemus occasionem loquendi cum infirmo in hunc modum, ubi ille discesserit: Jam à medico, fili mi, visitatus fuisti: jam ejus mandata, & quidquid necessarium videtur pro infirmitate tua, intellexisti: Ille medicus, terrenus medi-

medicus appellatur: quia soli medetur corpori, quod terrenum est, & in terram reverti debet, bis in die te visitat, & solvis ipsum: modò ad cælestem Medicum mentem converte, qui sanitatem defert animæ, quæ est immortalis: imò & corpori, cùm videt hoc ei expedire pro salute animæ. Hic est noster Deus, Creator atque Redemptor: hic solus ille est, *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: Qui sanat omnes infirmitates tuas: qui coronat te in misericordia, & miserationibus;* Neque bis tantùm infirmum visitat: sed cum eo, perpetuò, commoratur: ipsum à malis custodiens, eidemque bonum procurans: *Cum ipso sum in tribulatione;* Nec aliam solutionem pro his omnibus vult, quàm amorem, & quidem amorem illum; qui efficit, ut præceptis ejus obediamus: ut doleamus, cùm eum offendimus: utque cum humiliate, atque fiducia citò ad pietatem ejus curramus. Quoties à divino hoc Medico accepisti prædictas gratias? Quiesce igitur jam in amore ejus, & cum omni die affectu: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt nomini sancto ejus: Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus:* Atque hic unum advertendum est, ne in magnum errorem incidas: Tu, ut terreno Medico obtemperes, libenter multas res sensui amaras suscipis propter corporis

corruptibilis ſalutem, & quidem incertam: quo ergo affectu, ac gratiarum perſolutione ſumenda eſt quælibet amaritudo ſenſuum, ut obedias Deo, &, in omni re, divinæ ejus voluntati facias ſatis? Itaque valdè cautus in hoc ſis, fili, quia de honore Dei, animæque tuæ ſalute hîc agitur. Inſuper dici poterit, nunquam inventus eſt Medicus aliquis terrenus, qui infirmi ægritudinem, medicinas, atque amara remedia ſuſceperit, ut ipſum ſanaret: ſed tantùm pecunias, & dona; at Medicus noſter divinus hæc omnia fecit pro ſalute noſtra: *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit.* Ipſe amarum calicem medicinæ noſtræ portavit: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum?* Tum ipſe pariter tulit in carne ſua delicatiſſima omnia dolorum remedia pro ſalute noſtra: *Ipſe autem vulneratus eſt propter ſcelera noſtra, & livore ejus ſanati ſumus*; quare eructavit amariſſima ea ſuſpiria: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* O impiam ingratitudinem hominis, qui hunc Medicum non amat, qui Domino iſti non obtemperat, & parum pati non vult pro amore ejus!

Cùm ab initio pro eliciendo ſanguine incidetur infirmi vena, dici ei poterit: Tu emiſiſti ſanguinem: ſed una ſola ex parte, & in exigua quantitate, & quidem propter amorem, quo corpus iſtud corruptibile

le diligis: tum ſanguis iſte ſubriliſſimo acumine eductus eſt, ne damnum, aut dolorem aliquem ſuſtineres; ſed ſuffixus Cruci Medicus noſter Divinus voluit, ut totus ſanguis erueretur ab ipſo, atque ex omnibus corporis ſui partibus per flagellorum, acutarum ſpinarum, nec non crudelium clavorum immanitatem. *O ineffabilis, ac dulcis amor! O bone JESU, ſis mihi, quaſo, JEſus!* Scis fili, quid nobis contingat, dum de amore, quo nos DEUS afficit, loquimur? Eodem prorſus modo, ſicut accidit illis, qui cum vaſis ſuis tendunt ad mare, ut ea impleant: & verè implent: ſed quid? licèt ſæpe mare adeant, ac domum plenis cum vaſis revertantur, ſemper nihilominùs mare in immenſitate ſua remanet, ac ſi nihil ab eo ſublatum fuiſſet: ita, inquam, nos facimus, dum loquimur de amore divino; quamvis enim omninò intellectus noſtri impleantur cognitione illius, id, quod ſupereſt ad agnoſcendum, ſemper eſt infinitum.

Ubi infirmus viſitatus fuerit, dicetur ipſi: Ecce quot ad te viſitandum accurrunt, & ſolamen tibi afferunt, fili mi, ſed Redemptor noſter in Cruce poſitus voluit pro viſitationibus afflictiones, & opprobria: & quidem propter ſalutem noſtram: *Prætereuntes autem blaſphemebant eum, moventes capita ſua, & dicentes: Vah qui deſtruis templum*

plum DEI, & in triduo readificas illud: salva temetipsum: si Filius Dei es, descende de Cruce.

Ubi infirmus pectus suum expurgaverit, vel os laverit, dicemus ei: Tu, DEI gratiâ, pectus expurgans, lavisti utique os: sed Salvator noster, ut purgarentur pectora nostra ab iniquitatibus, tulit conspui sacratissimum vultum suum: in quem desiderant Cœlorum Angeli intueri: *Tunc expuerunt in faciem ejus.*

Cùm infirmus ex uno latere se vertet ad aliud, dicetur illi: Tu sæpe, modò in hanc, modò in illam partem te vertis, nec quietem invenis; & ratio istius est, ægritudo tua: hoc idem accidit animæ nostræ, cùm DEUM relinquens infirmatur, & creaturis adhæret; se vertat, quocunque velit, in nullo unquam loco quietem inveniet: *Versa*, inquit Divus Augustinus, *& reversa in tergum, & in latera, & in ventrem, & dura sunt omnia:* quia solus Deus est pax, & quies animarum nostrarum: in DEO igitur, si quietem desideras, fili, cor tuum repone: in amore DEI ex uno actu in alium te verte, & tuam omnem cogitationem illic siste, illic quiesce, in doloribus offensionis ejus dolores tui corporis lenias, & in spe bonitatis ejus totaliter pacatus maneas.

Inspiciens verò super mensam aliquam vasa, dicetur infirmo: O quot pulchra va-

sa variis plena liquoribus, ac lymphis hîc consistunt! Sed Filio Dei vas, quod erant paratum, plenum erat amaritudine, *Vas autem erat positum aceto plenum.* Meditare, quæso, parumper, fili, ingratitudinem nostram: licèt enim vidimus, quòd Christus Dominus amarum gustaverit pro salute nostra, & pro expurgandis peccatis nostris, nos nihilominùs pro gratiarum actione, magis, magisque studuimus, ut ejus pectus redderemus amarum.

Flores, qui conspici solent in domicilio infirmi, occasiones item esse possunt ad detinendam infirmi mentem in Deum intentam, si ei dixerimus: Attolle aliquantisper, fili mi, interiores oculos à terrenis hisce floribus ad florem illum Divinum Filium DEI, in quo nulla suavitas veri amoris omnigenæ consolationis deest; *Ego*, inquit ille, *flos campi*; flos campi non ab homine, sed à cælo madefit; neque hujus, vel illius est: sed ejus, qui illum habere vult; tum subjectus est pedibus, non tantùm hominum, verùm etiam bestiarum: ita, inquam, DEI Filius non sumpsit carnem in purissimo Mariæ Virginis sanguine ex operatione hominis, sed Spiritûs sancti: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi;* Neque istius, vel illius est: sed ejus, qui cupit ipso frui, in charitate, & obedientia præceptorum

suo-

suorum: *si quis vult venire post me, tollat Crucem, &c.* Divinus autem hic flos non solùm de Divo Josepho subjecit, ejusque Matri sanctissimæ: *Et erat subditus illis*; sed bestialibus Pharisæorum, plebisque voluntatibus: *Ego sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis*: considerandа autem est cum dolore magna hominis superbia, qui neque DEO se submittere voluit in voluntate sua.

Lecti pulvinaria, & cervical nobis pariformiter occasionem præbebunt differendi cum infirmo; unde poterimus illi dicere: Caput tuum habet, fili, in quo requiescat: sed caput Filii DEI non habet, ubi reclinetur, de quo ipse valde dolet, dicens: *Vulpes foveas habent, & volucres Cæli nidos, Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Ita, ait, ab homine contemnor, quem ad imaginem meam creavi, ac meo sanguine, & morte redemi: ut potiùs in corde suo locum vanitatibus, atque fallaciis damnum, mortemque sibi afferentibus pandat, quàm mihi, qui pacem, & vitam dono. Hoc modo igitur à re omni occasionem sumere poterimus loquendi cum infirmo, & circumstantibus, ut omnes accendamus, sed præcipuè infirmum, ad novos actus amoris DEI, &c non ad dolorem de offensa ejus, & ad spem in ipsius misericordia.

CA-

CAPUT XXVIII.

Quid dici debeas, ubi Cruci affixi Domini imago præ manibus accipitur.

SUmetur quandoque Cruci affixi Domini imago præ manibus, &, quasi ipse Dominus loqueretur, sic cum infirmo procedemus:

Ut videas, anima mihi dilecta, quàm multum te amem, ante oculos tuos expono me in Cruce pendentem, capite spinis transfixo, manibus, pedibusque à clavis transfossis, latere per lanceam aperto, spiritu expirato, & in manus æterni Patris emisso, ut placatus in amicitiam suam te suscipiat! Hoc considerato adorabis infirmus Crucifixum Dominum, dicens: *Ave Rex noster: tu solus nostros es miseratus errores; Patri obediens ductus es ei crucifigendum, ut agnus mansuetus ad occisionem*; dein peculiariter caput Christi Domini adorabit, in vulneribus illis suas omnes superbas, atque inanes mergens cogitationes, quibus Majestatem divinam offendisse potuisset, dicensque: *Placeat tibi Redemptor mi, in virtute istorum vulnerum ignoscere mihi quodcunque peccatum per cogitationes à me commissum*: Adorans posteà manuum plagas, omnium malorum operum patratorum veniam flagitabit; in pedum verò adoratione indulgen-

gentiam cunctorum terrenorum affectuum exposcet; ac tandem latus adorando totum se unà cum cogitationibus, verbis, atque actibus omnibus, quibus offendisse potuisset DEUM, immergetur in illud, ut ibi expurgetur, & tutus maneat à quacunque aggressione, & à quolibet malo defensus, dicendo diligenter, & ex corde: *Dominus fortitudo mea, & refugium meum, & liberator meus.* Dici itidem infirmo poterit, Crucifixo adhuc perseverante præ ejus manibus: In virtute vulnerum hujus sacratissimi Corporis Christi Domini Pater Divinus te Coronabit in Cœlo corona æternæ gloriæ: ac propter discerptos istos humeros stolam jucunditatis largietur tibi; Manus istæ clavis transfixæ sedem tuam tibi in cælesti Patria ædificaverunt: Vulnera istorum pedum tibi viam ad Paradisum explanaverunt, ingressumque ad æternum gaudium aperuerunt. Offer igitur, offer fili, cum gratiarum persolutione cælesti Patri in hoc crucifixo Domino Filium ejus: ut, ejusdem interveniente virtute, & meritis, effectus supradictos concedat tibi. Quapropter dicas: *Deus meus, & Domini nostri JESU Christi Pater, respice, rogo, faciem Christi nostri: & in virtute ejus operum parce mihi, tuoque Cœlorum Regno dignum me fac: ut ibi te adorem, ac laudem sine fine.*

Aliquando item efficiemus, ut infir-

mus cum omni affectu, atque fiducia Crucifixi Domini vulnera osculetur.

CAPUT XXIX.

De modo instruendi infirmum ad singulare Certamen cum hoste infernali, ubi in postrema mortis hora ab eo invadetur.

ESse posset, dicetur infirmo, ut ægritudo vocem, auditum, & sensum omnem in extremo tibi occuparet: quo tempore nunquam hostes desistunt pugnare, ut illis cedamus: sed non paveas propter istud, plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis. Credes forsitan, tunc Christum fessum se ostensurum in operando salutem tuam? Tunc Mariam Virginem, & Angelorum Cæli exercitum in auxilium tuum paratum non fore? Si diabolus immanissimam voluntatem habet de damnatione tua, scito fili, quòd major in infinitum est DEO voluntas de salute tua; tum, licèt dæmon sciat decipere, & aliquam vim habeat, in infinitum tamen à divina sapientia, atque potentia superatur; &, ut hæc omnia verbo concludam, eò usque tantùm diabolus poterit, tentabit, & sciet, quousque Dominus noster, qui nos salvare desiderat, ei permittet. Itaque totum in manibus illius est, qui ineffabiliter nos amat. Vis meliorem nuncium isto? Nihi-

ſto tamen minùs vult DEUS, ut nos quoque, ex parte noſtra, caveamus, & armati ſimus contra aggreſſiones inimicorum, qui extremis iſtis temporibus ſolent, ut plurimum, tentare per tentationes contra fidem, contra ſpem, nec non per præſumptionem, & illuſiones; contra quas, ut rectè decertare valeamus, peculiaria monita in ſequentibus Capitulis trademus.

CAPUT XXX.

De modo inſtruendi infirmum adverſus Fidei tentationem.

IN fine Certaminis noſtri Spiritualis tractatum eſt de iſtis tentationibus tempore mortis contingentibus, ſed breviter; quare hîc fuſiùs de illis, velut in loco proprio, diſſeremus. Ut autem, mi fili, cum exigua occupatione, & ſemper cum victoria pugnes in Certamine contra Fidem, debes omninò fugere diſcurſus circa eandem Fidem; in hoc propugnaculo ſemper firmiſſimus manens: *Ego credo, quidquid credit Eccleſia ſancta Romana.* Et quamvis prodeant aggreſſiones auctoritatibus ſacræ Scripturæ munitæ, quia omnes malè adductæ, vel mutilatæ proponentur, de illis ne cures; imò nec eas conſideres; hoc quippe modo, totum, inſtar ceræ ad ignem poſitæ, vel fumi ad aërem, evaneſcet. Adverte

verte itidem, quòd aliquando suscitabuntur cogitationes in te, quæ in favorem Fidei videbuntur: tu nihilominùs illis aures ne præbeas, pro quacunque causa, etiamsi hæc evidentissima tibi appareat, quia totum hoc à dæmonis arte procedit, ut sibi januam aperiat ad disputationes, in quibus dein mentem tuam involvat; & ut idem repetam centies, ac millies, sis in ea extrema hora contentus tuto isto propugnaculo: *Ego credo, quidquid credit sancta Mater mea Romana Ecclesia.* Quid credat, quomodo credat, quantum credat, & quare credat, velle curiosè in ultimis illis conflictibus investigare, est res magni periculi; atque ideo ad quamcunque interrogationem, seu cogitationem circa Fidem surdus esto, quamvis tibi videretur, quòd Cæli Angeli, vel etiam ipsemet affixus Cruci Dominus à te requireret, ut merendi occasionem præberet tibi. Assuesce igitur, ex hoc tempore, te exercere in isto, dicendo sæpe: *Ego credo, quidquid credit sancta Mater mea Romana Ecclesia; nec in hoc scire alium volo.* Tametsi autem totum id, quod tibi dixi, fortissimum sustentaculum sit, nihilominùs totum sustentaculum tuum in omnipotentia, bonitate, ac misericordia Domini reponetur: quia non est arcus, aut ensis hominis, qui salvat eum, eique victoriam impertitur: sed dextera virtutis

DEI; quocirca ad Deum sæpe cogitatione recurre, ut à periculo te custodiat

CAPUT XXXI.

De Fidei protestatione.

DIcetur infirmo, ut pronunciet *Credo*; Et dein: Nonne credis, fili mi, totum hoc, & quidquid aliud sancta Romana Ecclesia credit? Nonne vis in hac sancta, ac tuta Fide vivere, & mori? Converte igitur mentem ad Creatorem nostrum, & dicas:

Domine mi Creator, non tantùm placuit bonitati tuæ me creâsse ad imaginem, & similitudinem tuam; sed voluisti insuper, ut à Catholicis nascerer parentibus, atque in vera, & Catholica Romana Fide semper viverem. Propterhoc infinitas tibi gratias reddo. Quia verò opera tua perfecta sunt, & infinita est bonitas, & misericordia tua; Te humillimè rogo, ut perfecta sit in me gratia ista, moriendi nempe in sancta Fide Catholica, ac Romana; quia hæc est firma, & deliberata voluntas mea; & in hoc me declaro ante te Creatorem, ac Redemptorem meum, ante tuam Matrem sanctissimam, ac Virginem immaculatam, nec non coram Angelo meo Custode, sancto Michaële Archangelo, Angelis, Sanctisque omnibus Cæli, atque etiam coram R. R. his P. P. omnibusque circumstantibus istis; & Te oro, mi Domine, in visceribus amoris illius, qui [illegible] est, ut de cælo in terram descender[illegible], ut digneris me custodire, ne labar; vel si ob fragilitatem unquam laberer, citò me sublevare; ex hoc namque tempore

pore detestor quemcunque lapsum, vel dubium, in quod incidere possem, & de eo, ex hoc tempore, veniam flagito.

Postulabit quoque infirmus auxiliũ Mariæ Virginis, & Angeli sui Custodis, ac sancti Michaëlis Archangeli, aliorumque Protectorum suorum: totumque istud ultimo loco traditũ diebus singulis sæpe faciet.

CAPUT XXXII.

De Certamine contra spem; & de modo nos defendendi in eo.

TRia sunt argumenta principaliora, per quæ diabolus spem nostram tentat dejicere ad terram.

Primum est, suadere nobis, quòd antèactæ Confessiones benè factæ non sint.

Secundum, quòd gravitas, ac multitudo peccatorum nostrorum incapax sit indulgentiæ DEI.

Tertium, quòd conversio nostra sit nimis tarda.

Defensio à prima aggressione facilis illi est, qui adhuc aptus reperitur ad agendum cum Confessario suo; huic enim dicet: Pater mi, hoc, & illud molestiam mihi affert: Quid de hoc Reverentiæ tuæ videtur? Ubi postea fecerit, quod jussum, & consultum ipsi fuerit, de eo amplius cogitare non debet, neque aures ampliùs molestis argumentis præbere.

Pro illis verò, qui, satis morti propinqui, non possunt circa præteritam vitam discurrere, remedium quoque est facile; debent hi dicere sibi ipsis: Ego credo, quòd transactæ Confessiones benè fuerint factæ: sed, si tales non fuerunt ob aliquem errorem meum, de illis, mi Domine, doleo, & veniam peto, confisus in sanguine, ac morte Filii tui: promptusque ego sum, & paratissimus ad faciendum id omne, ad quod teneor, si concedatur mihi potestas hoc faciendi; hoc verò satis erit; atque ideo, ubi hoc fecerimus, statim formidinem omnem propellemus à nobis.

Pro secundi argumenti responsione, nos scimus ipsum Salvatorem nostrum dixisse: Se in terram ad salvandos peccatores venisse, pro illis carnem sumpsisse, pro illis natum fuisse, pro illis in terra triginta tres annos versatum esse, pro ipsorum salute concionatum fuisse, atque divinam doctrinam docuisse: tum, pro salvandis iisdem peccatoribus, tot pœnas, & tormenta in vita, in passione, in Cruce, in morte sustinuisse. Nonne dixit ipse DEUS per os Prophetæ sui in Veteri Testamento: *Quiescite agere perversè: discite benè facere, & venite, & arguite me, dicit Dominus, si fuerint peccata vestra ut coccinum, qua[illegible]ealbabuntur &: si fuerint rubra sicut [illegible]ermiculus, velut lana erunt alba.* In novo verò Testamento sanans

nans Salvator noster socrum Simonis, unicum filium viduæ Naim & Lazarum quatriduanum, nonne manifestè ostendit, nullum inveniri peccatum, quod benignissimus DEUS non ignoscat illi, qui cum humilitate, ac fiducia ac piissima ejus brachia recurrit?

Tertium argumentum solo sacræ Scripturæ dicto affatim annihilatur; Dictum verò istud est: *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua*, Ezechielis cap. 33. v. 12.

CAPUT XXXIII.

De tertia aggressione, quæ est præsumptio; & de modo eam repellendi.

SUbjugatis hostibus in supradictis duabus aggressionibus, solent nos per præsumptionem aggredi; quod quidem agunt duobus præcipuis modis.

Primus modus est, efficere, ut præsumamus de operibus nostris, & in illis salutem nostram ponamus.

Secundus est, nobis suadere, quòd DEUS nobis magis, quàm aliis faverit, & faveat.

Quoad opera propter duas rationes, inter reliquas, erramus, si nostris operibus nitimur. Ratio una est, quia nescimus, an operationes illæ acceptæ fuerint DEO;

alia verò Ratio est: quia ex operibus bonis labi possumus in aliquam iniquitatem, quæ sempiternam mortem pariat nobis.

De præsumendo postea in singulari misericordia, alia hîc subdere non est opus, nisi, quòd talis præsumptio sit mera superbia, quam fugere, atque odisse usque ad mortem debemus; unde dicet sæpe infirmus intra se: *Nescit homo, utrùm odio, aut amore dignus sit; & non intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

CAPUT XXXIV.

De aliquibus monitis infirmo antecedenter dandis, ut in ultimo puncto mortis iis uti possit.

Dilecte fili, si ob infortunium, diceturinfirmo, vel ob exiguam advertentiam in aliquod Fidei dubium incideres, vel in cogitationes desperationis, præsumptionis, infidelitatis, aut alterius rei, ne animo concidas, etiamsi inimici tibi dicerent, actum esse de te: sed, ubi poteris, confitearis illico; ubi verò non poteris, saltem dicas corde: *DEUS propitius esto mihi peccatori*; Et, si potes, aliquod signum contritionis efficias, atque doloris; te enim infallibiliter juvabit Dei pietas. Mentem sæpè etiam converte ad auxilium Mariæ Virginis,

nis, atque angeli tui Custodis, & aliorum Protectorum tuorum, incipiens ex hoc tempore assuefieri in istis actibus. Memento pariter ex nunc, quòd, ubi ostendero vulnera pedum suffixi Cruci Domini, te ad humilitatem, sanctumque DEI timorem hortari vellem, dicens nomine tuo. *Non intres in judicium cum servo tuo Domine*: Ostendens verò manuum vulnera, ad spem meritorum Christi te vocabo, & pro te dicam: *in te Domine speravi, non confundar in æternum*: Ostendens autem latus apertum, ad Dei amorem invitabo te, & proferam in persona tua: *Diligam te Domine fortitudo mea*; Ostendens item totum Crucifixum, denuò ad amorem, & spem in eum invitabo te, ac pro te dicam: *JESU sis mihi JESUS*: tum attollens ego manus ad Cælum, in nomine tuo pronunciabo: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*. Et coram te imaginem Beatæ Virginis sistens, in persona tua recitabo:

Maria Mater gratiæ,
Mater misericordiæ:
Tu nos ab hoste protege,
Et hora hac mortis suscipe.

Nonne cupis, ut ego in nomine tuo prædictas orationes, & affectus, aliaque peragam, quæ Deus mihi inspiraverit? Sis igitur

tur lætus, & confide in eo, qui te creavit, atque redemit.

Cave semper à visionum desiderio, quòd si eas videris, ne illas cures, aut adores, etiamsi ad hoc te interius motum sentires: sed mente conversus ad Sanctum, quem repræsentant, ipsum adora in Cœlo; si verò Mariam Virginem repræsentant, Eam in dextera Filii ejus adora, si autem Filium Dei, in dextera Dei Patris, atque in sanctissimo Altaris Sacramento adoretur à te.

CAPUT XXXV.

De eo, quid dicendum est, ubi infirmus per Viaticum communicatur.

CUM sanctissimum Altaris Sacramentum adfuerit, dicetur infirmo, antequam communicetur: Ecce unicus mundi Salvator absconditus sub speciebus istius Hostiæ consecratæ! Hîc adest benedictus ille Filius, quem divinus Pater propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, misit in mundum: Hîc, inquam, absconditus manet Agnus immaculatus, qui in Cruce mortuus est, ut tolleret peccata mundi. Nonne istud totum credis? nonne firmiter tenes, quòd manducando ex hoc pane, cùm benè sumus dispositi, multos favores, ac gratias, & inter alias, postremo

hoc

hoc tempore, virtutem nobis sit præstiturus, duxque futurus in Cæli via? Nonne ardenter desideras ipsum sumere ob prædictos effectus, atque ut illi placeas? nonne indignum te agnoscis, fili, tanto bono, ad recipiendum scilicet intra te immensum hunc Dominum? Dic igitur ex corde: *Domine non sum dignus; ut intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur anima mea; non semel tantùm, aut bis; sed ter, & quater.*

CAPUT XXXVI.

De quarto infirmorum statu, id est de iis, qui parum, aut nihil ampliùs sentiunt, vel valdè difficulter aliquem virtutis actum elicere queunt.

IN quarto infirmorum statu enumerati ii sunt, qui parum, aut nihil amplius sentiunt, vel valde difficulter aliquem virtutis actum elicere possunt. Istorum auxilium erit, sæpe mentem nostram in Deum coram ipsis intendere, orando pro iisdem in hunc, vel similem modum: Ecce, Creator Cæli, & terræ, creatura tua, quam tam alto consilio, & amore ad imaginem, & similitudinem tuam creâsti! Ne, quæso, opus tuum contemnas, quamvis, propter peccatum ab eo factum, defectuosum sit. Ecce ô verbum incarnatum, creatura

illa, quæ erat jam caro tua! ne illam odio habeas, etsi nuda sit operibus bonis: sed illam indue, mi Domine, bonis, ac meritis tuis, sicut nobis mandas, ut faciamus cum aliis: Ecce, divine Legislator, creatura hæc in peccatis suis inimica tua! Ignosce Domine inimicis tuis, & fac illis bonum: quia sic jubes, ut inimicis nostris faciamus: Ecce; Pastor bone, ovis deperdita, quam triginta tres annos insecutus es in hac lacrymarum valle: ne permittas, rogo, mi Pastor, ut a divinis humeris tuis in luporum infernalium decidat manus: sed ipsam deduc ad Ovile tuum. Ecce, mundi Redemptor, creatura, pro qua adeo inenarrabiliter Crucis tormenta tulisti! ne illam nunc deseras, licèt ingrata tibi fuerit: Salva illam, Domine, obsecro, in memoriam angustiarum illarum, quas tolerare in horto tibi placuit: In virtute sacratissimorum tuorum vulnerum, nec non sanguinis, ac mortis tuæ illam salva Psalmorum versiculis tempori, & loco aptis itidem utemur, ut infirmum juvemus. Si timidus est, dicatur:

Adjutor meus, & Liberator meus es Tu, Domine, ne moreris. In Te Domine speravi, non confundar in æternum. In Te speraverunt Patres nostri, speraverunt, & liberasti eos; ad te clamaverunt, & salvi facti sunt: in Te speraverunt, & non sunt confusi. Deus, ne elongeris à me! Deus

Deus meus, in auxilium meum respice. Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina. Deus noster refugium, & virtus: Adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis. Miserere mei, Deus, miserere mei: quoniam in Te confidit anima mea, & in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. Domine, vim patior, responde pro me. Quare tristis es anima mea? Et quare conturbas me? Spera in DEO: quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus. Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum: concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. Beati, qui habitant in domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt Te. Convertere Domine, & eripe animam meam: salvum me fac propter nomen tuum, & propter misericordiam tuam, Eripe me de inimicis meis. Domine clamavi ad Te: dixi, tu es spes mea, portio mea in terra viventium.

Si verò timetur, quòd infirmus de se ipso, ac de suis operibus præsumat; versiculi erunt, qui sequuntur:

Non intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit? Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non salvabit me. Non nobis, Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam. Deus propitius esto mihi peccatori.

Dicetur pariter sæpe: *JESU sis mihi JESUS!*

SUS! JESUS Maria! JESU, adjuva me propter temetipsum, & propter Matrem tuam!

Maria Mater gratiæ:
Mater Misericordiæ,
Tu me ab hoste protege,
Et hora hac mortis suscipe.

Signetur infirmus multoties Crucis signo in fronte, super oculos, super os, & super pectus, dicendo in quocunque signo: *JESUS, Maria, JESUS Nazarenus Rex Judæorum, salvum me fac in nomine tuo.* Tum sæpe etiam aqua benedicta aspergatur. Legatur quoque passio JESU Christi, dicantur Litaniæ, & alia, quæ à Rituali Romano apta hoc tempore præscribuntur. Dicetur verò circumstantibus, ut orent pro eo: ac tandem variis modis quicunque incumbet ad ipsum juvandum, recordatus illius dicti Salvatoris nostri: *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*

CAPUT XXXVII.

Quid fieri debet, ubi infirmus è vivis excesserit.

MOrtuo infirmo, bonum est pergere ad aliquam partem, ut illius domestici eum possint commodare; dicemus tamen nos eo tempore officium mortuorum; tum redeuntes ad cognatos mortui, hoc

hoc modo cum illis loqui poterimus: Laudo vos, quòd fleatis, quia, prætcrquam quòd res grata DEO est, lugere mortuos, humani cordis est signum: sed verum etiam est, quòd planctus indiget modo, & mensura, ne tam laudabile opus vertatur in vitium. Ut verò moderari incipiamus lacrymas, audiamus illud, quod cuilibet ex nobis mortuus dicit: etsi non audiatur vox ejus: *Memor esto*, ipse ait, *judicii mei sic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie*, jam ego mortuus sum, nec multum deest, ut tu pariter moriaris; neque tempus redibit denuo vitæ nostræ. Ab heri usque ad hodie dici potest, quòd homo vivat, adeò velociter hujus vitæ umbra transivit; vita enim vera nulla adest præter illam Cæli. Ad quid igitur tot abundantes lacrymæ super me? Si flendum est, super vos utique flete: qui pariter ad mortem citato tenditis cursu; &, ut meliùs dicam, si me, & vos amaris; omittite lacrymas: quia me istæ non juvant: vobis verò cùm nimis abundantes sint, tum corpori, tum animæ nocent. Insumite ergo tempus lacrymarum in orando DEUM pro me: considerantes, quòd judicia plus in animabus purgandum inveniunt, quàm ullus credat; Tum ego, velut amicus vester, ad virtutes vos hortor: ad amorem Dei, & proximi; atque ad mundi contemptum.

Quid

Quid mihi profuêre carnis delectationes; Quid desideria? Quid superbia? Quid vanitas mundi? Ecce omnia adinstar venti velocissimè transierunt! Quod solùm mihi remansit, sunt acerbissimæ pœnæ, quas Dei gratiâ, ut sperare debetis, non in Inferno: sed in Purgatorio me luere oportet. Quapropter vos oro, ut mihi, omnibus mediis, quæ sancta Romana Ecclesia vos docet, auxiliemini; & ut finem sermoni meo imponam, vos rursus rogo, ut ea faciatis, dum vivitis, quæ fecisse in mortis extremo voluissetis. O quis dolor! ô quis dolor est, cogitare in mortis articulo bonum, quod fieri poterat, atque occasiones, quas ad faciendum illud habuimus, & non fecimus! ô quot æterna bona amittuntur! ô quot amittuntur bona, miserrime, & insensate munde! Sitis vos ergo sapientes, intelligentes, & prudentes: vitamque vestram ad postremas necessitates, atque ad mortem dirigite, & componite; in hoc enim consistit totum: & quidquid aliud Vanitas, & Nihil est.

CAPUT XXXVIII.

De quinto, & ultimo infirmorum statu, videlicet de Convalescentibus.

COnvalescentes adnumerati sunt in quinto statu: quibus ita loquemur: Procul dubio credo, quòd, in infirmitate ista, multa filii mei videritis: quia majori cum sensu agnovistis, vos esse mortales, & terrenas res velociter prætetire: vestram adhæsionem creaturis tenaciorem esse, quàm putabatis, (unde non ita facilè, ac absque dolore homo ab ea se removet) ac tandem terribiliter vos terreri à strictissima ratione, quæ Deo de tota vita nostra reddenda est; dulcem verò esse memoriam operationum bonarum patratarum. Quod colligere debetis ex hoc toto, est, ut instar prudentis Ducis, visis infirmis cordis vestri partibus, vestrisque inspectis erroribus, vacetis hoc exiguo vitæ tempore, quod vobis superest, cum omni solertia munimentis vestris: ut adveniens mors paratos nos inveniat, & ad veram vitam transitum vobis pandat. Quod quidem fiet, hoc modo: Quotidie manè, videamini vobis audire singuli vestrûm has voces; *Dispone domui tuæ:* *quia*

quia morieris tu, & non vives, &, velut si vobis sola illa dies concessa foret, incumbite in quibuscunque actionibus vestris, ut puram, & mundam conscientiam conservetis, mortificantes semper passiones, & motus: mundum aspernantes: animamque virtutum actibus exorantes, ut placeatis Deo. Ut faciatis omnia, ista vobis sunt necessaria, Violantia, Violentia, Oratio, Meditatio, & sanctissimorum Sacramentorum Frequentia. Assuescetis igitur vigilare supra cor vestrum: ut se retrahat, & ampliùs non adhæreat creaturis; experientes verò in hoc laborem, violenter contra vos agite, statimque ad orationem confugite, hoc, vel simili modo dicentes: Heu, mi Domine, libera me ab inimicis meis, atque ab omni adhæsione mea ad res creatas: Auxiliare mihi, mi DEUS, ne istis motivis voluntati tuæ contrariis cedam. Meditatio dein erit, considerare rem aliquam, quam Dei Filius fecit in vita sua, atque in Mysteriis Crucis: ubi videntes, quòd totum dedit, & insumpsit pro vobis: ne vos etiam pigeat vos ipsos omninò tradere voluntati ejus: quæ nihil aliud vult, quàm bonum vestrum, & quidem tale bonum, quod percipi nequit, quia,


vos

vos optat in Cœlo secum ipso: ut eodem cibo gaudii perfectionis, atque benedictionis fruamini, quo ipsemet pascitur in sempiternum. Quòd si habere fusè cupitis modum vivendi, & moderandi vos ipsos, vestrosque inordinatos animi motus, nec non ornandi vos virtutibus, ac omni alio, quod vobis necessarium est: utamini *Spirituali Certamine*, in quo ad amussim, exactéque omnia ego doceo.



INDEX





INDEX CAPITULORUM, quæ in altero Opuſculo continentur.

Addita Certamini Spirituali.

CAP.

CAP.



VIA PARADISI,

Seu,

De Pace interiori.

DE MENTALIBUS DOLORIBUS à JESU CHRISTO in passione sua perpessis.


MODUS JUVANDI, ET CONSOLANDI CUJUSCUNQUE GENERIS INFIRMOS AD BENÈ MORIENDUM.

INTERPRES

rursus

Pio Lectori.

OPeræ pretium duxi, pie Lector, in Libelli hujus calce de cujusdam Typographi errore te monere. Cùm enim posterius istud Opusculum, nunc primùm Latiali idiomate donatum, è Typographia, hoc anno 1663. meo studio emergeret, prius Ven. P. LAURENTII SCUPULI Clerici Regularis ad manus venit, PUGNA nempè SPIRITUALIS impressa in Germania, cum nomine Auctoris supposititii: atque ideò apud nos Italos peregrini. De hac re maximam illico admirationem concipiens, in istam penè propendebam opinionem: talem auctorem novum, non secus ac ille Virgilio carmina, PUGNAM SPIRITUALEM SCUPULO rapere voluisse. Verùm dein advertens, appositum Auctorem esse Filium Religiosi Ordinis; Quem (quòd doctrina, & virtutibus usque ad stuporem semper floruerit) nihil unquam ab exteris, nisi ipsorum corda in sui obsequium, amoremque impensissi-



mum rapuisse, liquidò constat, immutavi sententiam: erroremque uni Typographo asserendum putavi: qui pro hac voce, *Interprete*, inscripserit in Libelli Titulo, *Auctore*. Quod tibi sit satis insinuâsse, ut tu, & unà tecum Typographi imposterum eundem cavere possint errorem; verusque, & legitimus Auctor absque hæsitatione ubilibet dignoscatur. Qui, ut in præmissis in SPIRITUALI CERTAMINE manifestissimè videre est, alius non fuit, quàm Ven. P. LAURENTIUS SCUPULUS è Clericis Regularibus, vulgò Theatinis. Præter hunc siquidem, Italia, Gallia, Anglia, Hispania: imò ipsæ Indiæ, PUGNÆ SPIRITUALIS, atque ita translati à me prius Libelli CERTAMINISQUE SPIRITUALIS (ut ab incompletis, excusis antea, diversificaretur) insigniti nomine, nullum recognoscunt Auctorem. Vale iterum, Pie Lector.

F I N I S.







Eremitar Camaldulen-
Eremi Insulae Vigrensis



CERTAMEN
Spirituale Lau-
rentij Scupoli
&c.